Disputatio medica, quâ illustris & gratiosissimi senatûs medici consensu, Immoderatum mensium profluvium ... / praeside ... Johanne Theodoro Schenckio ... publicae ... ventilationi submittit Samuel Ochlitius ... auctor.

Contributors

Schenck, Johann Theodor, 1619-1671
Ochlitius, Samuel
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : E chalcographeo Sengenwaldiano, Anno M. DC. LXV. [1665]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/w8ep7ruh

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISPUTATIO MEDICA

6

Quâ
Illustris & Gratiosissimi Senatûs Medici
consensu,

IMMODERATUM MENSIUM PROFLUVIUM,

In almâ ad Salam Academiâ,
PRAESIDE
VIRO
Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atq;
Experientissimo

DN. JOHANNE THEODORO SCHENCKIO,

Medic. Doct. Theoretices Prof. Publ. famigeratissimo, & Facultatis Asclepiadeae Decano spectabili,
Dn. Praeceptore, Hospite, Patrono ac Promotore suo nullô non honoris ac observantiae adfectu jugiter devenerando,
Publicae Iatrogonistarum ventilationi
submittit

SAMUEL OCHLITIUS,
Landsb. ad Warth. Neo-Marchita.
AUCTOR.

In Acroaterio Medicorum ad diem Augusti,

JENAE
E Chalcographeo SENGENVVALDIANO,
ANNO M. DC. LXV.

MAGNIFICO
VIRO,
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQUE
EXPERIENTISSIMO
DNO.

GUERNERO ROLFINCIO,

PHIL. MEDIC. DOCTORI LONGE CELEBRATISSIMO, PRACTICAE ET CHIMIAE P. P. MERENTISSIMO, FACULTATIS SUAE ATQUE ILLUSTRIS ACADEMIAE JENENSIS SENIORI GRAVISSIMO,

Domino, Praeceptori, Patrono ac Promotori suo magno,

submissâ prosequendo observantia & cultu devenerando humillimo

LABOREM MEDICUM

huncce,

quantulus cunque is est,

in sui studiorumque suorum commendationem

D. D. D.

SAMUEL OCHLITIUS,
AUCTOR.

χρῖσθ χειραγωγοῦντος.

PROLOGIUM.

INter alia, quae ſupremus Medicorum Daduchus, *Hippocratem indigito*, Poſterorum memoriae reliquit, hoc (α) certè notari meretur: αἱ ὑςεραι πάντων τῶν νοσημάτων αἰτίαι εἰσίν. Quibus verbis totam ferè (β) foeminarum ſanitatis rationem, & morborum muliebrium curationem in utero ſitam eſſe, atteſtatur.

Non abludit inde vetuſtiſsimus *Aretaeus*, dum *l. 2. χρονίων c. 11.* inquit: τῆσι γυναιξὶ ὑςέρη ἀγαθὴ μὲν ἐς κάθαρσιν καὶ τοκὸν: ξυμφορὴ δὲ νόσων μορίων τε καὶ κακῶν h.e. *mulieribus uterus ad purgationem & partum quidem bonus eſt, ſed morborum infinitorum malorumque acervum congerit.* Adfectô enim utero totum corpus in κοινωνίαν & contagionem trahi (γ) atq; rapi, cuilibet paulò cordatiori in proclivi videre eſt. Haut proinde immeritò divinus Senex adfectus iſtiusmodi ὑςερικὰς (δ) Dogmatico Medico maxumoperè commendatos cupit.

Quos inter omnes qvùm haut poſtremas ſanè partes teneat IMMODERATUS ille, qui MENSIUM dicitur, FLUXUS, ſive frequentiam ſpectes, ſive, quod illum comitatur, periculum; operae pretium me facturum exiſtumavi, ſi vel exercitii causâ, quae ex eruditis Medicinae Procerum ſcriptis de genio ejus, differentiis, cauſis, ſignis ac curatione, apis matinae in morem, collegi, breviter hîc, & in ſynopſi quaſi exponerem ac Doctiorum de iis judicia explorare aggrederer. Digna etenim materies eſt, ut penitiori conſideratione examinetur, ut cauſae ejusdem debitâ & Medicorum Scholis ſolemni

operâ investigentur, atque sic tandem methodica hujus non vilipendendae molestiae profligatio subjiciatur.

Unicum tamen adhuc subolfacio, quod Lectorem quendam offendet forsan; nupta nempe verba, quibus hoc institutum meum, si dicendum prout res est, planè carere nequit. Difficile enim non modò, sed & impossibile est, sermonis pudorem, & artis praecepta servare simul, inquit *Aurelius Cornelius Celsus, l. 6. d. re med c 18.*

Quapropter pudiculum hujusmodi commonefactum velim, ut verecundis hoc ipsum oculis adspiciat, animumque ab omni cogitationum turpitudine segreget, Naturam imitando ducem, qvae, ut *Cicero* (ε) loquitur, partes, obscoenum habituras adspectum, ab oculis removit, & quasi intra occultos corporis recessus abscondidit. Id quod in processerio hoc monuisse sufficiat, Caeterùm

πάντα καλῶς ἔχω!

(α) *lib. d. loc. in hom.* (β) *Lud. Mercat. l. 2. d. aff. mat. c. 1.* (γ) *Hipp. l. 1. aliment. Aët. c. 4. tetrabibl. serm. 4. c. 68. Albertin. Botton. l. d. morb. mul. c. 39.* (δ) *l. d. morb. mul.* (ε) *lib. 1. Offic.*

Caput Primum

In nominis rationem inquirit.

NE in limine illicò offendamus, & quod *Luciano* in ore est, Αἰθίοπα σμηχῶμεν, primò omnium in *vocum incunabula* paulisper inquiramus, necesse est. Cùm non tantùm *Galenum* ipsum, Criticorum non minùs, quàm Medicorum Principem *l. 3. simpl. med.* conturbatum vocum usum & rerum ipsarum cognitionem conturbare, doctè edisserentem percipimus; sed & insuper μέγα θαῦμα illud *Jul. Caes. Scaligerum*, nominato jam Galeno hisce verbis adstipulantem legimus, quando *exerc. 359.* ait: *à nominibus est auspicandum*, quidpe τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, *teste Philosopho.*

No

Nomen itaq; adfectûs nostri IMMODERATUS MENSTRUORUM FLUXUS à Latinis dicitur.

A *Graecis*, in quorum lingva aliàs est ea verborum proprietas, ut cum rebus ipsis nata videantur, ea vis, ut sub adspectum quasi rem subjiciant, (uti loquitur *Pontanus, l. 1. Progymn. p. 96.*) nominatur ῥοῦς γυναικεῖος *teste Philos. 3. 3. d. hist. animal. c. 19.* Derivatur ἀπὸ τοῦ ῥέειν fluere, diffluere & τοῦ γυναικὸς muliere, quòd fluor iste mulieribus maxumè familiaris sit & quasi proprius.

Ne verò quisquam in vocabulis hisce ludat, aequivocationem eorum examinabimus, trito & vulgari ducti & impulsi axiomate: Qui benè distingvit benè docet.

Ac primò quidem ῥοῦς Botanicis notat arbusculam quandam bicubitalē, nomine alio à Barbaris emendicato, *sumach* dictam. Graec. ῥοῦς ἐρυθρὸς καὶ μαγειρικὸς, differentiae causâ, quòd obloniis olim adspersa fuerit, hodie coriariorum usui cedit; maxumè tamen proficuam esse, testatur *Dioscor. l. 1. c. 124.* in profluvio fœminarum albo.

Ῥοὰ εἶδος δένδρου exstat apud *Suidam*, significans, ut vult interpres *AEmilius Portus*, genus arboris. Punicam malum, quae mala punica sive granata fert.

"Ῥοῦς & Hippocrati ῥόος dicitur à colore coccineo "acinorum. ῥοῦν enim ἐρυθρὸν interpretantur, unde Russus "vox Latina, & Roux vulgò Gallorum, nobis rhos vel rhus. "Latinum enim nomen non habet, ut scribit Plinius, cum in "usum pluribus modis veniat. Tamen *Theodorus*, quae est "fatalis ejus audacia, fluidam interpretatur, nomen illi à ῥέω "positum fuisse existumans. Vid. *Hist. omnium Plantarum seu "generalem Lugdunensium Tom. 1. l. 1 c. 38.*

Casparus Hoffmannus l. 2. de Medicam. officin. c. 197. est originis, *scribit*, Syriacae, & deducitur inde τὸ Russus vel Russeus, quo Romanos esse usos, si non aliunde constaret, certè ex factionibus aurigantium veneti & russei coloris, de quibus *Gal. 7. m. 6.* manifestum fieret; tamen si quis Graeco more cum *Galeno* aliisque declinare velit ῥοῦς, ῥοὸς, cum eo nos non pugnabimus. Est autem idem, atque, ut dixi, ἐρυθρός.

An βυρσοδεψικὴ καὶ ὀψοποιητικὴ i. e. coriaria & culinaria diversae plantae, interroganti olim respondet *Bauhinus*. Non. Atqui *Galen.* distingvit ϛ. κ. τοπ.

Abuali Ibn-tsina, vulgò *Avicenna* dictus, *Can. Med. l. 2. c. 2.* Tsumakh i. e. *rhus* aliud Chorasanicum, aliud Syriacum, minus chorasanico esse docet. Ad quae *Plempius* in *scholiis*: non *refert*, inquit, à Chorasana, quae est Choroane Ptolomaei aut Parthia Oxo contermina. Haec: *obsoniis commodè inspergitur*, in Romano exemplario adduntur.

Menstruus appellari svevit iste fluxus, quòd singulo mense fœminino sexui ad concipiendum idoneo contingat. Nonnulli fluxum hunc absolutè MENSTRUA, aut MENSES vocant. Alii TEMPORA, quod stato tempore prodeant; alii FLORES, eò quòd sicut arbores fructum non ferunt, nisi flores prodeant: ita ad concipiendum apta foemina non sit, nisi priùs menses fluant.

Respondet Latinae appellationi Graeca καταμήνια, ut & ἔμμηνα sc. καθάρματα vel περιτρώματα, quia vertente se mense, & secundùm motum Lunae, à quo tanquam rectore dependent, tùm in virginibus, tùm mulieribus nondum vetulis, recurrere solent. Cui sententiae suffragatur *locus lib. de septimestr. partu Hippocratis*, quamvis contrarium statuat *Helmontius*.

Pendet vectigal quasi suum singulus mensis, quod hinc MENSTRUUM dici solet, & quasi flores producit, unde nostrates, Monat-Blume/ die Rose/ Galli les fleors, gli flori, die Zeit adpellant. Solet etiam εὐτραπελίας ἕνεκα aliis nominibus pudibundus iste fluxus circumscribi, utpote per *virginalia*, & *muliebria sacra*, *profluvium uteri*, *muliebrem purgationem*, *justa*, ut est ap. *Columell.*

Antequam ulteriùs progrediamur, de *materia* etiam & *tempore* fluxûs naturalis præfari nonnihil licebit, quò eò deinde meliùs praeternaturalem, de quo sermo nobis erit, à naturali dignoscere valeamus.

Quae itaq; effluere solet, MATERIA, sangvis rubens est, & in junioribus quidem οἷον ἀπὸ ἱερείου instar ejus apparet,

qui

qui à recens mactata victimà fluit; in mediâ aetate medio modo se habet; in senibus crassior est ac nigrior. Interdum tamen in biliosis flavescens, in pituitosis subalbicans, & in melancholicis subnigricans comparere solet.

TEMPUS hujus fluxûs varium & mutabile est. Natura certâ lege atque ordine agens TEMPUS *UNIVERSALE* decimum quartũ huic fluxui annum destinavit, quo tempore multis ut plurimum, iisque variis mutationibus obnoxiae sunt foeminae. Succedit enim pubes, mammae intumescunt, Venerisque non exigui interdum sentiuntur stimuli. Horum signorum meminit *Ezechias* c. 16. Ubera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit, & ecce tempus tuum erat tempus annorum. Vid. quae recitat *Arist.* 7. *Hist. animal.* 1. His siquidem signis visis gaudet, maritum sibi spondet, mammis sororiantibus superbit, amat amari, jungi, pungi; *quod tamen ut casta mente legatur, monemus*; & cum primùm efflorescere incipiunt flores, floridae admodum fiunt virgines, libidinis aestu tentari solent, punctionibus imprimis cieri, tuncque prudens locum invenit *Aristot.* consilium, diligentissimè eas custodiendas esse.

Prostant tamen exempla, quod tùm *citius*, tùm *tardius* apparuerint. Prout enim calidiores & succulentiores, eò citiùs cruorem fundunt & laciniam cruentant. Ita nonnullis circa 12. aetatis annum prosiliisse, scribit *Senn. l. 4. Prax. p. 2. sect. c. 1.* & undecimo; *Bartholin.* cent. 3. obs. anat. 91. NONO; *Fernel.* l. 6. Pathol. c. 16. OCTAVO. *Joh. Schenck. ex relat. D. Jacobi Suteri*, QUINTO aetatis annô hunc fluxum coepisse confirmant. Plerumque autem istæ virgines salaces, & brevioris vitae habentur. Rasbutarum in India Orientali filiae QUINTO vel SEXTO aetatis anno nubunt, & ante 10. annum pariunt, teste *Oleario in Mandesloi itinerario Indiae Orientalis*, unde colligitur, ipsis eâ aetate menses quoque fluere.

Observatum hactenus fuit, virginibus 15, 16, imò 18. demum anno hoc naturae beneficium contigisse. Et tales, si non ex vitio quodam tardior fiat fluxus, longaeviores aliàs censentur.

De

De *tempore cujuslibet mensis PARTICULARI* sententiam suam exponit Philosophus 2. *de gen. anim. c.* 4. dum inquit: ἀκριβῶς μὲν οὖν ἡ περίοδος οὐ τέτακται ταῖς γυναιξὶ βούλεται δὲ φθινόντων γίνεσθαι μηνῶν h. e. menstrua nullo certô circuitu describuntur: amant tamen moveri decrescente mense. Minùs ergò adcuratè diei fluxus & refluxus definiri potest. Aliàs novilunium junioribus, plenilunium senioribus constitutum creditur, juxta tritum illud *Santorelli*;

Luna vetus veteres, juvenes nova luna repurgat.

Hoc tamen nec semper, nec in omnibus ita evenire, sed naturam pro temperamentorum, & regionum diversitate victûsque & vitae genere variare, experientiâ docemur.

In Codice sacro septendium legitur, *Levitic. c.* 15. Ad quem locum *Franciscus Valesius in Philos. Sacra:* quae enim fluxio ultra hebdomadam porrigitur, symptomatica est & morbi soboles.

Ludovicus Duretus apud *Hollerium* exactiùs computationem instituit. Quae per quinque dies fuit menstrualis, XXV habuit intermissionem: quae tres dies, XXVII: quae duos, XXIX, ut viragines, hæc enim per biduum menstruant, mediocres per triduum; aquescentes per 5 aut 7. Haec in fluxu *ordinario* plerisq; contingere, nullum esse dubium suspicamur. In *extraordinario* seu irregulari verò variant. Experimur enim, bis in mense quasdam purgari, easque modò pauciores, modò plures per dies.

De *termino fluxûs naturalis*, auctore *Philos. 7. d. hist. anim. Aeniget a l. 3. c. 60.* haec habet: παύονται τῶν καθάρσεων αἱ μὲν περὶ τὸ πεντηκοστὸν ἔτος, πανίαι δὲ μέχρι τῶν ἑξήκοντα, Desinunt purgari aliquae circa 50, paucae circa 60 annum. Unde pro miraculo habendum esse censemus, quod Sara conceperit, postquam desierant ipsi muliebria, *Gen. 18.* Post 50. annum non amplius gignere, etiamsi voluptas nondum cesset, testis est *Plinius*. Prorogari tamen ad 53 & ultra, adseverare conatur *Hollerius*. Notus quidem circumferri solet versiculus:

Adde decem ternis, muliebria menstrua cernis,
ad quinquaginta durat purgatio tota.

Sed

Sed desinunt quoque, inprimis pingves, circa 35. aetatis annum, purgari. Simili modo iis quoque, quae nimis juvenculae marito junguntur, 45 vel 46 anno hic fons exarescit.

Rarum est, quod refert *Greg. Horst.* cuidam mensium fluxum 73 anno accidisse. *Guil. Fabriz. c. 4. obs 63.* 70; *Solenander s. 5. consil.* itidem 70. It. in alia 76; & in alia 101. aetatis anno adhuc observarunt.

Et hic ipse fluxus ut *plurimum fieri* solet ac debet cum *εὐφορία, sine aliquo graviore symptomate.* Quod si verò ultra consvetum purgationis tempus praeter modum naturae, aetatis, vivendique institutum: aut praeter statas periodos foeminis conceptui idoneis accidat, IMMODERATUS redditur. Quo instante foemellas ad tantam pervenire immoderantiam videmus, ut vel pereant, vel in gravissimum aliud malum promptè adfectus degeneret. Quod etiam *l. 1. de morb. mul. Hippocr.* prolixâ verborũ ambage indigitat. Quâ de re exactiùs aliquantò acturi sumus in *seqq. capitib.* hoc tantumodò addentes, IMMODERATUM tùm *quantitatem*, tùm *tempus*, tùm *locum*, tùm *causas* & *effectum*, mutata alterataque, includere. Neque enim aequalem servat cursum *modus ordinarius*, sed tribus regitur adverbiis, *Copiosè, parcè, mediocriter.* Hinc quatuor conditiones de ordinario, ut legitimus sit & naturalis, adfirmant *Practici*: 1. ut servet periodos suas. 2 ut duret debito tempore & naturali loco. 3. ut adsit debita quantitas. 4. ut praeter quantitatem sangvinis substantia sit naturalis. His requisitis absentibus, vel aliter se habentibus, *illegitimus & praeternaturalis* qui vocatur, oritur, à potiori symptomate IMMODERATUS *dictus.*

CAPUT SECUNDUM

Definitionem exhibet realem.

EXplicato nominis ἐτύμῳ, adfectûs hujus definitio est subjungenda. Quae cùm in pathologica Medicinae parte ex amussim ad strictissimas Dialecticorum regulas rarò, aut nunquam sese applicare patiatur, contenti hâc vice erimus descriptione aliquali, rei naturam exprimente.

Fi nimus ergò adfectum nostrum, quod sit *immodica sanguinis excretio per uterum, orta ab imbecillitate retentricis uteri facult atis.*

GENUS, formalem exprimens rationem, est *excretio immodica* seu *fluxus immodicus, & ita κ̃τ' πόσον excedens*, quo ipso discernitur à moderata atque naturali sangvinis menstrui excretione, quae foeminis adultis & ad conceptum aptis, ex lege naturae, singulis mensibus, ordinario motu accidere solet. Dum non duas tantummodò heminas Atticas excedit, ut voluêre veteres, *Galeno* citante, sed vires insuper maximè etiam prosternit atque superat. περιτωματικὴ ad mentem *Aristotelis l. 1. d. gener. animal.* nominata.

Hoc modo consideratus fluxus, non ad morbum, non causam, sed symptoma tefertur.

Cum verò tria dentur horum genera, non ad *actiones laesas*, nec *qualitates mutatas*, sed *ad excreta & retenta* refertur. Adest enim hic quod molestat eorum quae ἐκκρινόμενα appellantur, & quidem αἱματώδη, *sanguinea*, uti fluxus uterinos distinguit *Jacobus Hollerius de curat. morb. intern. l. 1. c. 58.*

Trahunt tamen hîc nonnulli Artis Medicae scriptores contentionis ferram, & haerent in negotio stabiliendae certitudinis, an hic *ipse adfectus inter morbos sit recensendus*, num verò inter *symptomata*.

Qui prioris adsertionem defendunt, illi ad id morborum genus recurrunt, quod in *malâ figurâ* seu *conformatione* situm est, autumantes, fluxum isthunc ex meatuũ naturalium p. n. aptitudine prodire. Necessum enim est, *inquiunt*, figuram, retentioni sanguinis idoneam, vitiatam esse in hoc adfectûs genere, quod ampliores, quàm par sit, meatus complectatur.

Quia verò *teste Galeno 1. M. M. c. 3.* morbus ille tantùm dicitur, à quo actio primùm vitiatur & laeditur, hoc ita, quò sententiam suam stabiliant, limitare conantur, & statuunt; quod non tantùm morbus sit nominandus, in quo partis alicujus actio est laesa, sed cum & partis usus est vitiatus & depravatus. Vasorum autem usus praeter alios est, ut sangvinem, tamquam excrementum utile & foetus nutritioni destinatum, retineant,

quae

quae tamen in hoc adfectu aut rumpuntur, dilaceranturvè contusione, seu ruptione, & tunc Διαίρεσις dicitur, quo casu confertim sangvis effluit; aut aperiuntur propria foramina, & extremitates venarum, & vocatur Ἀνασόμωσις; aut exeduntur tunicae ab humorum acrimonia & malitia, quod Διαπήδησις adpellatur.

Ex alterâ parte in symptomatum τῶν ἐκκρινομένων excretorum censu habetur, & quidem, uti dictum est, commodius, vel ipso adstipulante *Philos. dum* 1. *d. generat. anim. c.* 19. menstrua nomine τῶν περιττωμάτων notat.

Haec ipsa cùm triplicia sint, ut docet *Gal. d. sympt. diff. c.* 6. nimirum κατ' εἶδος, τὸ πόσον καὶ οἷον, tùm *modum motus & quietis*, vel *substantiâ*, vel *qualitate*, vel *quantitate p. n.* sciendum hîc, solâ excretionem hanc peccare *quantitate*, & in specie quidem *multitudine*, eodem *Gal.* adsertore 3. *d. sympt. caus. c.* 2. ubi ait: πλὴν ὅσα διὰ μήτρας αἱμορραγοῦσι γυναῖκες, αἱ μὲν ἄλλαι πᾶσαι κενώσεις τοῦ αἵματος ὅλῳ τῷ γένει παρὰ φύσιν εἰσὶν, ἐκείναι δὲ τῷ πόσῳ μόνον. *Praeter eam, quae mulieribus per uterum erumpit, caeterae sangvinis (plusculae) vacuationes, toto genere p. n. sunt: illa verò solâ multitudine.*

Dum *copiâ* seu *quantitate tantùm* peccare sanguinem dicimus in hoc adfectu, non possumus non recordari eorum, qui virulentum illum ipsum, & malignâ qualitate praeditum contendunt. Inter quos ex Philosophis primas tenere videntur *Plinius lib.* 17. *nat. hist. c.* 1. & *Columell. l.* 1. *rei rust. c.* 3. qui statuunt, quod specula inficiat, eboris nitorem obscuret, vina corrumpat, plantas, si quas incidat, perdat, canes in rabiem agat, haustusque in homine epilepsiam, maniam, lepram, & similia mala proferat. Cum his *Cardanus* funem trahit, qui *lib.* 12. *de subtilit.* sangvinem menstruum magnam vim habere tradit. Siquidem mulier, dum eô laborat, specula chalybeata spiritu inficit rubigine, & sata, per quae vadit, laedit. Quin ab hoc ipso excreti miasmate morbillorum & variolarum in foetu διάθεσιν descendere, Arabum dogma existit.

Breviter autem eam controversiam dirimi posse existimamus, si dicamus, quod is interdum quidem alienam acquirat qualitatem, graviora symptomata pariat, taleisque det

effectus, quales recensuimus, qui occultum quid & venenatam qualitatem arguant; praestare tamen istud per accidens, quatenus nimirum vel p. n. in corpore cumulatur, corrumpitur, & vitiosis permiscetur humoribus.

Sanè quod specula menstruata mulier inficiat, humoribus debetur acidis illis & Θlatis, qui unà hoc sub motu agitantur, fermentatique aëri exspirato se permiscent.

Quod ipsum etiam strenuè impugnat *Helmontius* in *Physica sua inaudita.* Decipiuntur, inquit *Fallopius lib. de Med. purgant. c. 1.* certè nonnulli, ut *Plinius* & alii, qui ex symptomatibus quibusdam, quae dicunt accidere, dum mulieres menstruantur, adserunt, menstruum esse malum & corruptum. Decipiuntur profectò, quoniam sangvis menstruus in se benignus est & bonus, sed si aliquando edit illa symptomata mala, illud provenit, quia ratione obstructionis, aut aliam ob causam retentus fuit per unum & plureis dies, exq; retentione putruit, & malam acquisivit qualitatem. Optumus ergò, si mulier praecipuè boni habitus est.

Caput Tertium

Subjectum explanat.

SUBJECTUM *denominationis* est MULIER. Ita enim *Aristoteles*, qui nihil, ad animalium naturam spectans, reliquit intactum (habebat enim 2000 indagatores ab Alexando praestitos, qui orbem universum peragrantes animalium proprietatibus ad amussim observandis sedulò navarent,) menstruas purgationes non in omnibus fœminini generis animalib9 fieri scribit, sed dumtaxat in iis, quae sunt sangvine praedita, quaeque vivum pariunt animal. πλείστην γὰρ ἀπόκρισιν ἀποφίησι γὰρ τῶν ζώων. *Plurimum etenim menstrui excrementi mulier emittit. 1. de generat. animal. 19.* ἐν τούτοις γὰρ ἀπόκρισιν ἡ τῶν καταμηνίων γίνεται ῥῦσις θύραζε μόνοις. *In hoc enim uno* (genere animalium) *menstrua profluunt καὶ τὰ τῶν ἀπόκρισιν ἐν ταῖς γυναιξί, & omnium apertissimè in mulieribus.*

Unde

Unde proportione ut in maribus genitura, in mulieribus menſtrua proveniunt, Omnium autem animalium mulieres menſtruam hanc colluviem diffundunt, quod non, ſicuti bruta, in pilos, cornua urinamque abſumant, eôdem teſte *7. hiſtor. animal.* 2. Non ergò piſces, neque ovipara, neque omninò volucrum genus menſtruo fluore madeſcit, ſed vivipara tantummodò & inter haec mulieres uberiùs. Cum verò non parva latitudo ſit hoc in ſexu, certisſimum eſt, ratione temperamenti, vitae & victûs generis unam prae altera iſto mali genere tùm fortiùs, tùm frequentiùs affligi.

Cum *Helmontius Tract. lunare tributum* fatetur incomparabilem Dei generatricem virginem, arcam foederis, corruptionem nullam in ſe unquam admiſisſe, & per conſequens nunquam menſtruo obnoxiam, ut neque muliebres incommoditates paſſam, quidpe quae meritò Lunam, Lunaeq; proprietates, divino nutu pedibus ſubſtratam habet, verba honoris loquitur, quibus ſua laus eſto.

Sedes principaliter adfecta, ſine cuius cognitione neq; cauſæ ſatis intelligi, neque praeſidia accommodata debitè adhiberi & praeſcribi poſſunt, UTERUS eſſe creditur, ὑστέρα, quaſi viſcerum poſtrema dicta. Situ intellige, non uſu, quem *Aretaeus l. 11. de cauſ. diuturn. morb. c. 11.* duplicem facit: ἐς τόκον, καὶ ἐς κάθαρσιν. Cùm ſangvis hic non in nutrimentum foetus abſumitur, ordinario Naturae curſu ſtatis temporibus per uterum effluit & expellitur, uterus πάθος hoc excipit, qui ad fluxum hunc & ut pars *ſimilaris*, arteriis & venis refertus, & ut *diſſimilaris*, cavitate & meatibus praeditus, concurrit.

Non ſemper tamen per eſſentiam laborat. Saepe per conſenſum hepatis, lienis, cordis vitio accidit, quorum vaſa impurum corporis ſangvinem ad uterum propellunt, unde fluxus uterinus vocatur.

Qui in fluxione terminos, Phyſicorum more, *à quo*, per *quem*, & ad *quem*, attendendos praecipiunt, illi partes *mandantes* à *transmittentibus* & *excipientibus* diſtingvunt.

De *partibus hiſce*, unde potisſimùm ſangvis hic menſtruus, & per quas vias mittatur, varii variè ſerram ducunt.

Vesalius cum assectis suis *l. 5. d. hum. corp. fabrica c. 15.* ex fundi venis menstruas purgationes sanis alioquin evenire statuit. *Galenus* verò *5. aph. 60.* ex utrisque tàm fundi, quàm cervicis venis sangvinem effluere censet.

Alii, ut *Columbus l. 10. anatom.* vasa eligunt, qvae à cavae divisione oriuntur, & in uteri cervicem inseruntur ad latera.

Alii denique, iique plures ad uterum etiam peculiarem hujus mali originem referunt, quod ex ejus proprio vitio aliquando profluvium illud accidat. Quid itaque in tanto tantorũ virorum dissidio dicendum, meritò quis dubitet? At titubantem hâc in re erigit *Joh. Argenterius.* acerrimus ille *Galenomastix*, praefat. ad Lectorem: Nos putemus, *inquit*, eos, quos alii tamquam Deos venerantur, fuisse homines, qui non omnia noverint, posterisque nobis multa excogitanda reliquerint: agnoscamus & nos pariter esse homines, ingeniumquè & sensus ad veri investigationem & rerum dignotionem à natura accepisse.

Quamobrem ab omnibus hisce discedentes, ad neotericorum inventa, ipsâ αὐτοψία comprobatâ, accedentes, & Praeceptorum celeberrimorum vestigiis insistentes, TOTUM CORPUS, praecipuè VISCERA αἱματοποιοῦντα, cor, pulmones, jecur, lienem, quò pancreas & mesenterium spectat, pro *parte mandante*, *vias* verò sangvinem huncce *deferentes*, ARTERIAS UTERINAS, à spermaticis secundùm veteres & recentiores, quos inter est *Joh. Riolanus*, ab hypogastricis emergentes, agnoscimus.

Pro parte *recipiente* verò & *pellente* COLLUM uteri, non modò quatenus iisdem vasis per duplicaturam ejus excurrentibus, inibique in ramulos se dispartientibus desinentibusq; ibidem est refertum; verùm etiam quatenus cavitate suum περίπωμα immodicum hic excipit, colligit, & vel fluidum vel in grumos coactum per orificium ejus, quod inferioris respectu, externum vocatur, emittitur, decernimus. Adisis *suffraganeos Dn. Gvern. Rolfinctum Phil. Med. Antecessorem & Seniorem cùm sui Facultatis, tùm Universitatis hujus, Epitom. cognosc. & curandi adfect. corp. hum. particular. l. 3. c. 23.* & *Dn. Joh. Theodor. Schenckium*

Med.

Med. Doct. & Theoret. P. P. famigeratissimum, in Exercitat. Anat. lib. IX. c. XXV, utrosq; Praeceptores meos, plus quàm filiali cultu aeternùm devenerandos.

Labitur Galeni dogmate nisus *Zacut. Lusitanus Praxi Hist. l. 3.* cùm negat, per seminaria vasa deferri excrementum hoc, ipse verò cavam indicet, à quâ ad uterum relegetur.

Caput Quartum

Causam immediatam seu proximam, & mediatas proximiores investigat.

ARistoteles graviter aliquando decumbens, tamquam bonus Philosophus, ad causas rerum investigandas adsvetus, Medicum suum ita affabatur: *ne me cures velut bubulcum, aut fossorem, sed causam priùs aperi; sic enim non difficili persvasione morigerum me reddes.* Quod ipsum & nobis jam dictum quasi in aurem esto. Qvum neque morbos, nisi causae caveantur, vitare; neque causis adhuc praesentibus tollere possimus, monente *B. Senn. l. 2. Inst. Med. c. 1.*

Edocti itaque è Pathologia dividere causas, aliam *immediatam* facimus *seu proximam*, alias *mediatas*, easq; vel *proximiores*, vel *remotiores*.

Συνεκτικὴν sive conjunctam, ex mente *Francisci Valesii* & *Ludovici Mercati*, tùm ipsius etiam *Dan. Sennerti*, quae inter internas MEDIATA est & proxima, primo loco ponimus. Estque, censu generali, *imbecillitas vasorum retentricis*, quae humorem sibi commissum retinere non potest, docente *Hipp. 2. de morb. mul.* cujus robore mensium intercludi fores, sicuti virtute expultricis fortiori easdem aperiri nimis videmus.

Apud *Gal. 3. de caus. sympt. c. 2. & 2. aph. com. 57.* cùm facultas accusatur, quae vas sangvinem continens recludit, cogitanter addit *Alexander Massaria in praxi l. 4. c. 3.* ad fluxum mensium immoderatum facere, si facultates, quae omnibus membris insunt, veluti attractrix, retentrix, alteratrix & expul-

trix

trix non probè ſuo officio fungantur, praecipuè verò ſi facultas contentrix non retineat, quae & quamdiu retinenda ſunt, quae inprimis ex malâ uteri intemperie, vel humidâ, frigidâ, vel utrâque fieri ſolet. Pariter ſi facultas expultrix nimium expellet, quae & quando non ſunt expellenda, quæ potisſimùm ex mala uteri & vaſorum intemperie vel ſiccâ vel utrâque ſola contingunt. Nos credimus expultricem ſuum ſymbolum etiam conferre.

Nonnulli, quos intereſt *Zacut. Luſit.* ſalvâ facultate ob errorem externum, ſangvinem calidum, acrem, tenuem, copioſum fluxum hunc oriri exiſtumant, freti loco Galeni citato, ubi à tribus cauſis iſte fertur deſcendere. 1. propter laeſam facultatem. 2. ſangvinem malè adfectum. 3 propter vitium vaſorum.

Verùm duplici modo reſponderi poteſt, altero, quod ſi ab externo errore deſcendat, non ſymptomaticum & morboſum dicendum eſſe, uti diſtingvit *Gal.* quem *Capivaccius* & *Campolongo* ſequitur: altero, quod *Galenus* ad mediatas proximas practicorum more magìs reſpexit, de primatu in ordine ad effectum ipſum, juxta recentiores, non admodum ſollicitus, quamvis in *lib. d. diff. ſympt.* & cauſis principatum laeſae facultati tribuat, & tùm retentricem per ſe, tùm expultricem per accidens accuſet.

Eodem ſenſu accipienda eſt & mediatis cauſis inferenda ſententia *Lazari Riverii*, dum cauſam fluxûs immodici omnem dependere docet ab immediata & proxima, quae morbus eſt vel *organicus*, qui duplex, *ἀνάστομωσις καὶ διαπόδησις*: vel communis eorundem vaſorum 1. *ῥῆξις*, ruptio, deinde *διάβρωσις*, eroſio appellata. *Prax. Med. l. 14. c. 3. & l. VII. c. 6.*

INTERNAS itaque *ex mediatibus cauſis proximiores* cum *Galeno* in *treis claſſeis* diſpeſcimus, ad quas quidem, ſi quis voluerit animum adhibere, certum eſt, caeteras omneis poſſe referri, quaecunque ab aliis proponuntur. Verba magni illius Dictatoris *5. aph. 57.* haec ſunt: Δυνατὸν δὲ ἔστι, καὶ ἀναστομωθέντων ὑπὸ πλέον τῶν εἰς τὴν μήτραν καθηκόντων ἀγγείων, καὶ λεπτοτέρου τοῦ αἵματος, ἢ θερμοτέρου γενομένου, καὶ τοῦ σώματος ὅλου διὰ κακοξίαν

τινὰ

πνὰ βαρυνομένου, τῷ αἵματι, κἂν μηδέπω τὴν κ᾽ φύσιν ὑπερβαίνει συμμετρίαν ὠδύνται δ᾽ αὐτὸ πρὸς τὰς ἐν τῇ μήτρᾳ φλέβας, ὥσπερ ἐν ταῖς ῥευματικαῖς διαθέσεσιν, ἄλλοτ᾽ εἰς ἄλλο μόριον ἀμέτρον κένωσιν γένεσθ᾽ καταμηνίων.

Primò UTERUM ex Galeni mente accusamus, qui nonnunquam κ᾽ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, *essentiae* ratione, morbo *intemperiei* aliquo laborat, intemperie nimirum aut *calidâ & siccâ*, aut *humidâ & frigidâ*. Hinc si *calidâ*, quae quidem siccitati juncta fuerit, intemperie adficitur, attrahere potissimùm, & ad excernendum uteri expultricem stimulare solet; sin *frigidâ*, junctâ humiditati, adeò debilis facultas efficitur retentrix, ut humorem sibi commissum retinere nequeat, adfirmante *Hipp.* Unde etiam sangvinis, qui robore alteratricis jecoris elaboratur, partem non exiguam per uteri venas expurgari hâc ratione, *idem* dicit *l. 1. d. morb. mul.* Sed neque de utero tantùm, verùm de *vasis* etiam ad eundem pertingentibus dictum hoc esse volumus.

His succedunt II. MORBI *uteri in mala conformatione*, ut: quando substantia uteri & vasorum fit laxior & rarior, quàm materiae eorum conveniat; aut asperitatem aliquam, quâ claudi nequeant, continet, quemadmodum idipsum maximè videre est in ἀνασυρμώσει, διατηδήσει, & διαιρέσει.

Mollitiei, duritiei, & asperitatis meminit *Galen. 4. M. M. 2.* idque nonnunquam primâ statim conformatione, nonnunquam temporis progressione.

Nimirum hoc matricis vitium contrahi potest temporis tractu, aut naturâ & primo ortu, quâ ratione, *Galeno* adfirmante, perpetua conflari potest menstruorum fluxio, nisi quis diuturniori medicamentorum usu ad habitum meliorem naturam reducat.

Huc respiciens *Alexand. Massarias* benè adnectit *solutam unitatem*, quae ex causis modò citatis, praesertim ex laborioso partu & imperitiâ obstetricis, secundinas à cotylidonibus dilacerantis, non rarò evenit.

III. SANGVINEM penes culpa etiam residet, ut p.n. saepius promoveatur mensium fluxus, quatenus nim. aut

quantitate is peccat, aut qualitate. *Quantitate* peccare sangvinem dicit *Hipp.* quando plethora talis adest, ut per ἀναστόμωσιν vi erumpat sangvis, & tamquam onus à naturâ deponatur, *l. 1. d. morb. mul.* Hoc attendens *Gvil. Rondeletius, Meth. curandi morb. p. m. 553. c. 59.* menses, *scribit*, redundare dicuntur, "quando purgatio naturalem modum excedit, & evacuatur "multus & optumus sangvis, vel post abortum, post partum na- "turalem, post usum medicamentorum. *Qualitate* verò, qvum serosa aut biliosa pars per διαπόδησιν transsudat, qualem *Forestus* observavit, *lib. 28. observ. 28.* aut alienus planè ab eâdem naturâ rejicitur.

Quaesiti, quâ qualitate sangvis fluxum hunc magis excitet, respondemus cum *Massariâ l. c. ex Gal.* acri, salsâ, & erodente. Licet enim *Avicenna* & plures cum eo multitudinem aquosi & humidi sangvinis accusent, copia tamen hîc in agendo principatum ducit, nec humiditas aliter, quàm emolliendo vasa, ut recludantur, disponit.

Nimirum natura in mulieribus hanc evacuandi occasionem attentè observans, simul quicquid est vitiosi humoris in corpore, ad uterum, ceu ad communem corporis cloacam, amandat, & non rarò res miratu dignas ibi deponit. Ut exempla sunt apud *D. Horst. in observ.* & aliis. Unde non absonè alicubi monet *Victor Trincavellius cons. mul. 3.* quando hisce juven- "tam floridam alloquitur verbis: Videtis itaq; vos juvenes, "quod non tantùm sit locus & membrum voluptatum & dele- "ctationis, verùm etiam sordium atq; excrementorum; ideoq; "abstinere debetis ab hujusmodi incommodo.

Huc CACOCHYMIA quoq; pertinet. Neque enim qualitate simplici, sed saepe substantiâ totâ peccat sangvis, unde & excreta totâ quoq; substantiâ rectè delinquere, observant. "Haec, inquit *Magnif. Dn. D. Rolfincius*, & impuritas, orta ab "imbecillitate jecoris, consistit non solùm in τῆς ποιότητος & "qualitatis accidentalis peccantis sive primae, sive secundae, "quia huic peccato alteratio debetur, non evacuatio, verùm "etiam in qualitatis essentialis formâ & specie, quia ad pro- "priam substantiam & naturam humorum pertinet.

Secun-

Secundùm Aetiologos, à dogmatis Galenicis deflectentes, & quidem quod *Chimicos* spectat, causa in ipsum uterum rejicitur à *Paracelso, l. 4. d. orig. morb. matric. l. 2.* utpote qui sit parvus & peculiaris quidam mundus in homine & instar hominis, omneisq; complectatur creaturas, quod propria habeat elementa & alimenta, quibus sustentetur, ut & *proprietates* ♀*ri*, ex cujus putrefactione morbi oriantur. Alibi tamen, ut *lib. 11. §. d. dolor. matric.* adserit, morborum matricis generationem non esse in matrice, nec ex eâ, nec per eam. Omne enim membrum, quod descendit ab aliis, detrimentum quoque ab aliis accipit. Matrix suum nutrimentum ab omnibus membris, singulis 4 septimanis, accipit. Item matrix cibatur à carne hominis, non à potu & cibo. Menstruum itaq; ab omnibus provenire docet membris. Accusat cor, fel, & caetera membra principalia, & hinc menstruum provocandum per totum corpus, existimat.

Helmontius tractat. Lunare Tributum, menstruum hunc fluxum ex abundantiâ alimenti deducit. Renovari debet cruor humanus dierum spacio, quo Luna per Zodiacum singulos metitur cursus. Si ergò non absumitur, sed diutius reservatur, corrumpitur. Unde exuto spiritu vitali, onerosus evadit, & non secus atque vina quaedam exacto anno vappa fiunt, in excrementum, dein virus, viresq; in pejus acquirit eundo. Renovationem & sequestrationem ad monarchalem uteri archaeum transfert. Ideo enim exosum maximè celerius foras ejicitur.

Cùm autem qui immodicus fluit, & post partum excernitur, ab eo quidem cruor vocetur, menstruus tamen matris non sit, alienae familiae adoptivus & matri factus exoticus adpellatur.

Franciscus Grembsius in *Arbore integrâ & ruinosâ hominis l. 2. c. 1. §. 2. p. 219.* uterum per solam actionem ignoti regiminis hunc fluxum perficere docet.

Ex mente *Harveanorum* motus sangvinis nimius accusatur, cùm sc. arteriae venis fideliter non reddant, & majorem, quàm par est, copiam elabi patiantur,

Cartesiani agitationi nimiae materiae subtilis imputandum hoc censent, quae materiam imbellem penetrando, claustra frangit. Unde à solo aëris motu anomalo haemorrhagiae crebriùs & inopinatò homines invadunt.

Uterinas adfectiones à succo pancreatico p. n. se habente, & cum bile, seu ⊖ibus lixiviosis se permiscente ac ebulliente, quoq; originem sumere solere, novissima opinio est.

ἐπίκρισις his opinionibus adjecta illa optima est, quae indicat, veterum placitis, quae jam pro novis traduntur, non repugnantia esse, sed subordinatorum jure quàm optumè gaudere posse.

Caput Quintum

Causas mediatas remotiores ex rerum naturalium classe recenset.

Ad mediatas nunc easque remotiores adfectûs hujus causas ipsa nos accedere jubet methodus.

Inter quas, qvum primâ statim fronte RES NATURALES sese offerant, *temperamentum* exinde provocamus, quod si in corpore aliquo praeter caloris vigorem humiditatis excessum habeat, certum est, foeminas istas maximè hoc ipso infestari malo. Haec vel in toto, vel in parte, tùm mandantibus & transmittentibus, tùm excipientibus est quaerenda: ita *humidae* copiosiùs fundunt, quia aquosior & tenuior est sangvis, tonus debilior: *calidae*, quae tenuem reddunt sangvinem, fundunt & liquant, acrem & salsum reddunt, nisi unà sint *crassae, benè coloratae & viriles*, secundùm id, quod legitur ap. *Hippocr. l. 1. d. morb. mul.*

Ita dantur in sexu hoc sequiori individua, quae copiosam, vel bis in mense redeuntem, vel lactationis toto tempore, citra incommodum & jacturam virium, consvetudine & habitûs ratione peculiari, excretionem hancce patiuntur. Vid. *Holler.* in *schol. Roderic. à Castro, d. natura & morb. mulier. Salmuth. in observat.*

Im-

Inprimis verò *aetatem juvenilem ac mediam* ad hanc fluxus continui molestiam proclivem esse, experientiâ docemur.

His *causas procatarcticas* subjungimus, monente *Vict. Trincavell. cons. mul. 2. p. 257.* quia plures causae adferri nequeunt, tùm habitûs ratione, tùm vitae generis, unde cogitare queamus, quod ex propensione aliqvâ naturali occasionem nanciscatur hoc vitium.

Inter RES, quae NON-NATURALES Medicis audiunt, *primum locum* obtinet AER. Hic maxumoperè in crimen vocatur, si calore nimio infectus fuerit. Caeterae etiam inclementiores aëris constitutiones, & subitæ ejus mutationes, quibus corpora inaequaliter commoventur, eandem fœminis noxam adfricant *3. aph. 12.* dum corpus multis humoribus infarciunt, quae facta à cerebro in uterum destillatione eum gravant, ejusq; vasa occupant, ut iis onerata nimium in modum rumpere demum cogantur. Unde saepiusculè fluxio continua, nisi medicamenta in tempore adhibeantur, exoriri solet.

Insignem autem ipse AER mutationem accipit à *sideribus coelestibus*, quae diversam diverso tempore ἐνέργειαν ipsi imprimunt, cujus beneficio in haec sublunaria mirificè agunt, aliquando sensibiliter, nonnunquam etiam insensibiliter.

♄ enim & ♂ si malè constituti fuerint, vel insimul pejoribus in signis, utpote ☓, &c. existant, humorum vitiosorum & erodentium ad vasa concitationem promoveri docent Astrologi.

Lunare hoc tributum non à Lunae viribus dependere docet. *l. c. Helmont.* sed solùm ideo dici menstruum autumat, quòd cum motu & cursu Lunae incidat. Cur autem incidat in idem tempus, quaesitus respondet, quod superfluitates tunc nimis abundent. Verùm si hoc, iterum cur ad motum Lunae hic motus superfluitatum variet, quaesitus, idem respondet, sicq; circulum committit.

II. CIBUS & POTUS. Haec, inquit Cicero Medicorum, *Celsus, l 2. c. 18.* non omnium tantùm morborum, sed & secundae valetudinis sunt praesidia. Ideoque nec fluxum hunc omninò excludendum esse existumamus. Etenim edulia malo huic mate-

tiam ſubminiſtrantia calida praecipuè ſunt, acria, ſalita, aromatibus immoderatiùs condita, qualia ſunt Zingiber, caryophylli, cinamom. piperis ſpecies, allium, cepa &c.

Inprimis flammae oleum adfunditur, ſi *vinum* hauriatur *geroſum, malvaticum*, &c. aut uſurpentur medicamenta *ἐμμηνάγωγα*, aliaque aromatiſata, arte facta, & importunè adſumta. Ita quae vinolentae ſunt, fortiùs hoc adfectûs genere & frequentiùs detinentur. *Fructus horarii*, lubricando & fermentando: *Flatulenti* cibi, ſangvinem commovendo, idem praeſtant.

Obſervatum tamen eſt, etiam à rebus adſtringentibus immodicum fluxum fuiſſe concitatum, quem ad modum ex prunorum ſylveſtrium eſu. Sed hoc ſit per accidens. Ex his & ſimilibus copioſiùs paulò adſumtis ſangvis ejusdem, quod dicitur, farinae conficitur, cujus vi deinde facultas vaſorum genitalium expultrix ad excretionem ſuperfluam in foeminis irritatur.

III. Idem praeſtant VIGILIAE immoderatae, ſi in corpus plethoricum, quod rari habitûs eſt, irruant. His enim viae aperiuntur, humores exagitantur, calor nativus disſipatur, ut exinde *φρενιτεψία* & *ἀπεψία*, teſte *Hipp. d. vict. rat. in acut. part.* 56. cauſentur.

IV. QUIES, & MOTUS, utpote curſus, ſaltus, geſtatio rerum ponderoſarum &c. facili etiam negotio ad excrementi hujus augmentum diſponunt.

V. EXCRETA & RETENTA in hâc cauſarum à rebus non-naturalibus petitarum perſcrutatione non negligenda quoque, dum ſcil. excernenda, ut foeces alvi, urina, ſudores, vel retinentur, vel non legitimo modo ſequeſtrantur. Ea namq; naturae bonitas eſt, ut, quod impedita hoc in loco expellere nequit, per aliam & magis diſpoſitam viam extrudat, qualis uterus eſt, qui omni menſe à ſarcina iſta in mulieribus ſe liberat.

VENERIS demum verticordiae & medulliſorbae venerationem nimiam optumo jure recenſitis hiſce adnumeramus. Exempla vid. ap. *Sinibaldum Geneanthrop. l. 1. tract. 6. c. 12.*

Sennertus Vir de Medicina merentisſimus, uſum Veneris ita depingit; ſi legitimus & moderatus, naturam movet, uterum

calore

calore grato perfundit, & ad neglectum revocat opus: at intempestiva nimiaque hujus indulgentia intempestis etiam calamitatibus corpus totum onerat.

Impar conjugum habitus saepius fluxum hunc excitat, maxumè sub primo coitu. Vir robustioris nervi cum tenerâ virgine coitum exercens plus tristem, quàm laetam eam reddit.

VI. ANIMI PATHEMATA. Ira sangvinem mobilem in corpore calido agitat & movet, qui quiete fractâ, patescente hâc portâ, inquietè ruit, & campum nullo ordine manat.

Ad RES PRAETER NATURAM, quae foeminas de statu naturali dejicere, & fluxum immodicum excitare queunt, *partum difficilem* referimus, dum scilicet puerpera magno nimis conatu foetum interdũ edere laborat; it. *secundarum violentam extractionem*, quatenus nimirum ex imperitiâ obstetricum secundinae à cotylidonibus dilacerantur, aut forti pessario ab iisdem obstetricibus vexantur, ut notat *Sinibaldus*.

Insuper *sternutatione nimiâ* concitatum fluxum bimestrem memorat *Hildanus, cent 3. obs. 58.*

Abortus inter potiores causas numeratur. Ibi enim summa vis retentrici facultati, vasis inservienti, infertur, quò minùs adeò facilè cohiberi sangvis queat.

Durities alvi etiam ad hoc vitium disponit, cùm vaginam connexionis jure unà ad excretionem sollicitat, dum foeces cum labore egeruntur.

CAPUT SEXTUM
Circa differentias versatur.

DIfferentias fluxionum, tùm ad πρόγνωσιν, tùm πρᾶξιν utiles, ex tribus praecipuè fontibus, *formali* nimirum, *materiali*, & *efficiente causâ* petere licet.

Et quidem FORMAE seu GENERIS ratione, haec excretio quoad *substantiam* est humorum vel crassorum, vel tenuium, ortum plerumq; ducens ex salsae pituitae, vel aliorum humorum permistione. Unde *excretio* alia *legitima*, in quâ san-

ſangvis purus, ſolâq; copiâ peccans, effluit, alia verò *notha*, cui humores alii admixti fuêre, tàm naturales, quàm praeternaturales, ſangvine praedominium nihilominus obtinente. Et hujus generis habentur τὰ καταμήνια ἄχρηα à *Coo. 5. aph. 56.* memorata. Quâ de re videri poſſunt *Bottonus*, *Sylvius*, & alii.

Quantitatis reſpectu, excretio *alia* inſignis eſt, *alia* mediocris; alia *ſimplex*, alia *compoſita* cum morbo in temperiei hepatis, lienis, conformationis, & unitatis ſolutae. Quoad *qualitatem*, ſangvis *alius* tenuis dicitur, *alius* acris, ſeroſus, ſpumoſus, grumoſus, rubicundus.

Tempus quod attinet excretionis hujus, quaedam ἀθρόως & continuò durat; quaedam verò certis ac interpolatis vicibus cum dolore affligit. Cujus exempla ap. *Foreſt*, & *alios Practicos* reperire licet.

Praeterea ἰδέαι ὑγρῶν μυρίαι mille aliae ſunt, ſecundùm rationem majoris & minoris iſtorum ſpecies, inquit *Aretaeus*, *l. 2. d. ſign. & cauſ. diuturn. morb.* Unde *Eraſiſtratus* ap. *Galen.* tredecim humorum differentias enumeravit, quos tamen *Mercatus* potius ad diverſas putredinis, aut corruptionis modos reducere ſatagit.

SUBJECTI ratione profluvium aliud *eſſentiale* eſt, quod proprio uteri facultatis vitio exoritur, quae aut importunius expellit, aut continere nequit, quae alioquin retinenda forent; aliud *ſymptomaticum*, vel totius, vel partium aliarum jecoris, lienis, cordis &c. culpâ, & tunc vitioſus plerumq; color, tumor univerſi corporis, oedema pedum, mala tùm appetentia, tùm concoctio, & reliqua inſequi ſolent, docente *Gal. l. 6. loc. adfect. ad fin. Avicen. c. proprio.* Unde poſtmodum miſerae foemellae vitam quaſi mortuam, inter ſuſpiria & lacrymas trahere neceſſe habent.

Tandem pro CAUSARUM varietate variat quoq; profluvium illud. Ratione verò *accidentium*, cum ſyncope, motu convulſivo, delirio, cum dolore ventris, aſthmate, vigiliis, tremore & palpitatione cordis fluxus immodicus eſt conjunctus.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM

Doctrinam de signis diagnosticis proponit.

UT auream Divini Praeceptoris nostri, Hippocratis, observemus regulam; μόνος δὲ ἂν ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος, εἰκότως ἐπιχείρειν, (libr. περὶ ἰητρῶ in fine) de vulnerum curatione agentis, ut solus is, qui signorum cognitionem habuerit, ritè curationem aggrediatur; ad illorum τῶν σημείων inquisitionem nos adcingimus; quorum usum ut tàm in προγνώσει, quàm θεραπείᾳ rectiùs percipiamus, distingvimus ea in διαγνωστικὰ & προγνωστικά.

Methodo verò usuri, quâ optumè praeivere nobis Praeceptores μεθοδικώτατοι, proponemus signa alia ratione *generis*, *subjecti*, & *causarum*, ordine jam percepto.

Ratione GENERIS malum hoc ex facili cognoscitur, qvum quoad *quantitatem*, *qualitatem*, ac *modum* aegrae difficilius excretionem illam ferant. Pathognomica recensentur esse mutatus sangvis, copiosus, & confertim ex utero fluens, durans etiam, sicq; tractu temporis corpus debile, ac decolor redditur, appetitus imminuitur, dolor capitis instat, inquietudo animi persentitur, gravitas lumborum accidit, & quae ejus generis alia sunt, supervenire consveta. Hinc symptomata indies ingravescunt, dum miserae illae ἀνορεξίᾳ, ἀπεψίᾳ, ἀχρίᾳ foedo corporis colore, οἰδιματώδειque ejusdem constitutione laborant; quae omnia conjunctam habent virium subitaneam prostrationem, quam ex pulsu & actionum vitalium ac animalium laesione quilibet facilè dijudicare potis est.

Mulier Schonaviensis, quoties sibi menses fluerent, inter umbilicum & pubem, simulque in lumbis dolor em patiebatur, unà cum fluxu alvi, statis temporibus, singulis nimirum mensibus, quod totum biennium duraverat. *Smetius Miscellan. Medic. l. X.*

Ex hisce dictis clarum simul evadit, fluxum non esse criticum, nec dependere à solo expultricis robore rectè operantis, sed pravè, & conjunctâ imbecillitate retentricis.

Praeterea ipsa sangvinis quantitas ac qualitas medico quàm maxumè est consideranda: quod ipsum sanè tùm ex visu, tùm ex aegri sermonibus satis superque innotescet. Aegrae enim confessio unicum & optumum adfectûs hujus diagnosticum est, adfirmante Medico quodam doctissimo. Sed quàm muliebre silentium & dissimulatio morbum saepe reddit aegrè curabilem! ut ex *Heliodoro d. hist. Aethiop.* queritur *Langius, Leorino-Silesius, l. 2. Med. epist. 39. p. 672.* addens, ex hâc verecundiâ, & causae inscitiâ multas periisse.

Inprimis autem differt hoc profluvium immodicum, (sive id exquisitum fuerit, sive nothum, prout aliquibus distingvere placuit,) à profluvio muliebri; quòd in hoc materia vel pituitosa, vel alia sangvinem superet; in eo verò materia exiens vel mera sit sangvinea, vel alteri tamen praedominans. Vid. *Botton. c. 59. & Magnif. Dn. D. Rolfinc. epit. c. d. profluv. mens.*

Ratione SUBJECTI sangvis ex utero, *ceu parte mandante* prodiens est varius pro constitutione foeminae. Alius enim crassior & graveolentior, alius limpidior & fluidior observatur.

An verò à toto, an ex *utero* & *è cervice* magis prodeat, tùm causae antecedentes, tùm dolor interdum concomitans nonnihil indicare possunt. Et licet nonnulli è sangvinis profusi qualitatibus, ac consistentiae modo itidem signa de promi posse statuant; id ipsum tamen nobis minus verosimile videtur, qvum ex sangvinis qualitatibus non partium adfectarum, sed potius causarum morbificarum diversitatem dijudicare liceat, teste *Senn. & Forest. l. 21. obs. 11.*

CAUSARUM *ratione* signa vel ex antecedentibus, vel ex consequentibus peti possunt. Ex antecedentibus, & si *vitio facultatis*, tunc aderunt signa circa partem adfectam calidae, humidae, & siccae temperici, ut docet *Avicenna*. Mulieres perpetuò ad ista loca mandent, calidae in Venerem magis sunt pronae, &c. Si *ab ἀναστομώσει*, praecesserunt, aut praestò sunt causae vasorum orificia aperientes, tàm internae, quàm externae, suprà denominatae; Ex consequentibus, si sangvis ab initio paucus, mox *ἀθρόως*, rubicundus ac spissus, deinde etiam

niger

niger & grumosus, sine dolore uteri, nec continuò, sed per intervalla promanat.

A διαπηδήσει si oriatur, sangvinem paucum, tenuem ac serosum, sine dolore excerni, & per vasorum tunicas guttatim transsudare observamus, qui per plures dies etiamsi servetur, non tamen grumescit.

Διαίρεσιν & *solutam unitatem* in utero adesse, indicant repentinus ac dolorificus fluxus, praesertim si causae praecesserint, quae continuum solvere ac dilacerare potuerunt, quales sunt: humoris acrimonia & mordacitas, sangvis, & virulentia sangvine commixta & graviter olens. Haec si adsunt, dolorem levem quidem, sed molestum circa lumbos, uterum, & pudenda persentire solent aegrae. *Soluta unitas*, ut vulnus, ulcus, sensibus subjiciuntur.

Sangvinem abundare, significant venarum turgentia & faciei rubedo, quae jecoris robur, & sangvificandi efficaciam demonstrant, quo in casu dysenteria epatica saepissime toto juventutis tempore circa nocumentum foeminis contingit.

Hippocr. 1. d. morb. mul. 37. & 11. humorem peccantem hâc ratione dignosci docet. Nimirum linteo excipere jubet humorem peccantem, quo exsiccato, rubram in medio maculam, in circuitu verò humoris redundantis notas apparere, ait. Deinde fluentem sangvinem super arenam siccam & minutam colligi, & in ferventissimo Sole exsiccari vult; qui si biliosus fuerit, pallidum, & viridis arenae colorem adsumere: sin pituitosus, album & veluti muceum deprehendi: si melancholicus, nigrescere, idem adfirmat. Optuma est διάγνωσις ex συνθέσμῃ causarum, & collatione cum effectibus.

Caput Octavum

Prognosin examinat.

EX Hippocratis, (*l. d. arte*) & Galeni (*l. 2. M. M. c. 9. & 2. aph. 29. & 1. prorrhet. com. 2. text. 37.*) praescripto, desperati solis prognosticis sunt relinquendi, ne scil. infamentur praesidia, quae multis fuêre saluti; neve Medicus videatur

eum occidisse, quem mors ipsa, aliusve error externus peremit. Hoc ipsum jam servantes praeceptum, diagnosticis & distincti vis signis meritò prognostica subjungimus.

Prognosis haec versatur 1. circa prædictionem *salutis* & *mortis*. 2. *longitudinem* & *brevitatem* adfectûs, 3. *eventûs modum*.

I. SALUTIS ac MORTIS eventum quod attinet, ratione quidem *formae*, hunc adfectum etsi non prorsus incurabilem, haut tamen adspernandum esse, dicimus, qvum secundùm *Hippocr. aph. 51. s. 2. & aph.* 25. *s. 1.* multas domesticis molestias creet, & non minùs terrificus sit, quàm suppressio τῶν ὡραίων. Si enim diuturniorem paulò traxerit moram, sangvine exhausto, viscera tàm primae, quàm secundae coctionis, ob caloris nativi depauperarionem, debilitari incipiunt, unde doloris, quam conjunctam habent, vehementiâ, spiritus vitales dissipantur, omnevirium robur dejicitur, appetitus prosternitur, facies colore flavo perfunditur, (ex hâc potissimùm ratione, quod ejusmodi fœminae bilis plerumq; dominatu teneantur, dum illa consortio sangvinis, ceu freni, destituta liberè vagatur,) tabes, syncope, hydrops, aliaq; horrenda, quae ceu ex equo Trojano prodire solent, symptomata, teste *Galen. 6. d. loc.* & *Hippocr. 5. aph. 57.* inducuntur.

In corporibus tamen plethoricis non adeò pertimescendum, nec citò cohibendum existumamus hunc fluxum, quia à plurimis morbis, ut suffocatione uteri, sterilitate, haemoptysi easdem liberare consvevit. Qvum cujusdam sartoris filia 21. annorum, citra evidentē praegressam causam, haemophthisin saepius incurreret, suppressio mensium accusata fuit, ab hâc liberata, meliùs se habuit, viroque juncta multarum prolium mater evasit. Haec *ex collectaneis & observat. practicis Nobilis. Dn. D. Praesidis*, in medium producere consultum duximus.

Subjecti ratione periculis omninò non levibus exponitur hic fluxus, si praesertim à fundi venis prodeat, aut ab internâ sangvinis dispositione (uti modò diximus) oriatur; quòd si verò à venis cervicis, & ab externis ac evidentibus causis proveniat, minùs periculi portendet.

De

Deinde quando uterus non per ἰδιοπάθειαν, sed per consensum potiùs adficitur, curatio longè facilior erit.

Nec adeò difficilis curationis fore, existumamus, si aegra sit robusta, ejusque natura fortior. It. si malum sit ab ἀναστομώσει & διαπηδήσει, & medicamenta ritè & in tempore adhibeantur; contrà verò si debilis sit, imbecillesque habeat articulos, facilè à morbo vincetur, diutiùsq; cum hoc malo conflictabitur.

Simili modo si aegra adhuc sit juvenis, passio non adeò lethalis aestimatur ac periculosa; è contrario in senioribus, praecipuè si malum inveteratum, incurabile plerumq; & lethale est, ob virium imbecillitatem, & metum cachexiae in iis latitantem.

Denique si in nimio sangvinis post abortum fluxu, id, quod expelli debebat, in utero retineatur, vel ad alias partes ruat, inflammationes, ac alia graviora mala inde excitari possunt. Cautum ergo se gerat Medicus in casibus istiusmodi obvenientibus, necessum est, qvum definita sangvinis evacuandi quantitas ita facilè determinari non possit. Hinc quò plures partes, eaeq; in corpore principaliores adficiuntur, & in consensum trahuntur; quò plura & graviora symptomata concurrunt; & quò longiori temporis spacio hic fluxus continuatur, eò periculosior aestimandus erit adfectus.

Pro *causarum* diversitate, modò faciliorem, modò difficiliorem institui posse curationem, rectè monet *Sennert. l. 4. p. 2. f. 2. c. 6.* Unde periculosior habetur, si sangvis putridus, utpote motu & substantiâ peccans, simul rejiciatur; cui quoad periculum succedit serosus & acrior. Difficulter enim hic fluxus sistitur, qvum sangvis ejusmodi facultatem expultricem ferè semper stimulando, vasorum apertionem foveat.

II. LONGITUDINIS & BREVITATIS ratione, periculosiorem pronunciamus adfectum, si brevi tempore ingens sangvinis menstrui copia effluat, quia saepiusculè animi deliquia, motus convulsivi, aliaq; horrenda symptomata supervenire solent, adfirmante *Hippocr. sect. 5. aph. 56. & f. 7. aph. 9.*

III. Ad MODUM EVENTUS quod spectat, salutarem illum fore arbitramur, si omnia symptomata sint mitiora, inpri-

mis verò naturae robur adſit; ſin autem pulsûs imbecillitas, animi deliquia frequentiora, partium extremarum refrigeratio, ſudores, convulſiones, ſingultus, deliria ſuperveniant, mortem utplurimùm ſignificare ſolent.

Symptomatibus hiſce ſtipatus, ad mortem *ſubitò* deſcendit, ubi diu & vehementer adfligunt: *lentè*, dum in hydropem & phthiſin aegra conjicitur. Mercatoris cujusdam Chemnicenſis uxor, ſecundum inito matrimonio, hocce fluxûs genere vehementem in modum vexabatur, adeò ut ad heminas quatuor & plures cruor expulſus per vices adſcenderet. Nullis remediis internè & externè adhibitis malum averruncari potuit, usquedũ ſponte ad tempus ſupprimeretur. Verùm cùm aliquoties recurreret, aquâ intercute ſenſim ſuccedente, animam exhalavit, eodem referente *Nobiluſ. Dn. Praeceptore Praeſide.*

Ad ABORTUM etiam diſponit retentrice ob humiditatem nimiam, tonumq; uteri ſolutum, debilitatâ. Quod ipſum ſcitè admodum & firmè confirmatur à *Coo. 5. aph. 60.* quando inquit: γυναικὶ ἐνγαςρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύωνται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν. i. e. ſi *praegnanti purgationes menſtruae curſum ſuum teneant, benè valere foetum, eſt impoſſibile.* Praeprimis ſi ultimis menſibus accidant, abortûs metum ſubeſſe, teſtatur idem, *ſect. 5. aph. 31. & 34.* Quin non abortum modò praegnantibus & puerperis conciliat, ſed enervato hâc ratione uteri collo, STERILITATEM foeminis quoq; infert.

CAPUT NONUM
Methodum medendi detegit.

PErſpecto nunc & perluſtrato ſic theorias amphitheatro, ipſum praxeos nunc accedamus armarium, ex quo depromemus tela, quibus adfectum hunc debellare ac propulſare queamus.

Qvum verò omnis methodica curatio, teſte *Galen. 2. M. M. 6. 7.* INDICATIONE & materiâ remediorum abſolvatur, utpote quâ fine, *eodem* adſertore, *3. M. M. 1.* Medicus gratioſum aegro auxilium CITO, TUTO, JUCUNDE nequaquam ferre poteſt;

tri-

triplicem eam constituemus; *Curatoriam, praeservatoriam, & vitalem.*

De curatione hujus adfectûs diffusè egit *Galenus 5. M. M. à cap. 5. usq; ad 7.*

Brevissimâ oratione sententiam suam exponit *Hippocr. VI. epidem 5. 7. t. III.* ubi docet sangvinem ex venis promanantem sistere animi deliquium, figuram aliò tendentem, interceptionem venae, linamenti in orbem convolutionem, adpositionem, alligaturam.

CURATORIA intemperiem mandantium & excipientium partium per contraria corrigit: quae aperta sunt, claudit, quae rupta, unit & consolidat. Tonus partium corroborandus, specificis & adpropriatis non omissis. Quod si *febris* adsit, aut alius morbus, tunc varianda ad horum genium curatio est.

PRAESERVATORIA respicit causas materiae morbificae praecipuas. Hisce enim persistentibus, impossibile est, ut ipse adfectus exstirpetur, inquit *excell. Seibiz. spec. Med. pract. part. 5. s. 2. c. 10.* Si ergo sangvis *qualitate* peccet, alterandus; si acris & salsus, attemperandus; si tenuis, incrassandus; si cum impetu fluat, sistendus; si aliunde adfluat, revellendus; si *quantitate* sive copiâ peccet, convenienter evacuandus, nec ejus motus aliter praepediendus, nisi magna impendeat spirituum resolutio. Si *substantiâ*, evacuandus; si praecesserit aliqua evacuatio, illa reiteranda; flatus si adsint, discutiendi.

Symptomatibus, qvum urgent, v. g. *delirio, dolori, & vigiliis* per anodyna & narcotica: *syncopi* per cardiaca: *siti* per refrigerantia & humectantia: *appetitui defecto* per acida moderata: *convulsionibus* per antiepileptica & bezoardica succurritur.

VITALIS partium calorem, unde vires, alimentis & medicamentis in tempore reficiendum & confortandum esse monet, quae ideò statū morbi πρὸς Φυλακτικὸν & ἀναλιπτικὸν respicit.

Hisce indicationibus ut satisfiat, selecto auxiliorum apparatu instructus accedat Medicus, requiritur. Materia remediorum ex triplici usitato fonte depromatur: χειρουργικῷ, Φαρμακευτικῷ, καὶ Διαιτητικῷ.

CAPUT

CAPUT DECIMUM

Fontis chirurgici praesidia commendat.

QVum in methôdicâ curatione scire, quid sit agendum, h. e. remedia invenisse, minimè sufficiat; sed praeterea usum eorundem legitimum h. e. quantum, quando, quomodo, & ubi, probè nosse, summè sit necessarium & perutile, ut rectè monet *Cl. Sennert. lib. 5. p. 2. s. 1. c. 4.* Idcirco de rectâ praesidiorum administratione, ex fonte chirurgico petitâ, pro instituti ratione paucis sumus dicturi.

Ex chirurgiae ergò censu praestò est VENAE SECTIO, quod generosum certè praesidii genus utrum amplexandum, an verò respuendum sit in hoc adfectu, si praesertim animi deliquium supervenerit, tanquàm de quaestione, satis omninò intricatâ & arduâ inter Practicos, non nihil adponere, nostrarum partium esse duximus.

Leonhardus Botallus de *curat. per sangv. miss. p. m. 161.* sangvinis fluorem è naribus, haemorrhoidibus, & utero non interdicere sangvinem è vena mitti docet.

Hollerius in *com. ad aph. Hipp. 50. s. 5.* testatur, se multas vidisse virgines, quae detracto multo sangvine è venâ convaluerint, qvum nullis aliis remediis potuisset reprimi fluxus ille sangvinis.

Rondeletius, & *L. Riverius* Galeni praeceptum observant, ad vires respiciendo, pro quarum vigore vel diminutione, nunc largam & continuam, nunc modicam & discretam commendant.

Prosper Martianus, Commentator Hipp. doctrinae illustris, illud tò ad animi deliquium in V.S. addendum eatenus esse monet, quatenus illud impendet, id quod in quibusdam brevi momento, in quibusdam post largam satis evacuationem accidit.

Tutius est, mediâ incedere viâ, praeeunte nobis *Hipp. s. 1. aph. 3.* (dicente, extremas evacuationes summè periculosas esse) & abstinere longè satius esse autumamus, nisi quis agyrtarum,

&

& pseudo-medicorum more agere velit: à quo tamen Medicus rationalis sibi caveat.

Prolixiorem se praestitit in hâc ipsa quaestione pertractandâ *Zac. Lusit. l.1. Med. Pract. hist. p. 7.*

Caeteris itaque consentientibus, si in morbi ἀκμῇ, & paulò serius ad aegram vocetur Medicus, viribus permittentibus, phlebotomen instituere ad ℥iij, plus aut minus, non adeò erit pertimescendum, praeprimis si aegra valdè plethorica fuerit. Experientia enim testatur, multas, etiam praegnantes hoc praesidio praeservatas; è contrario multas quoque, hoc praesidio neglecto, arbortum passas fuisse. De quibus *Cl. Horst. l. 1. p. 2. d. morb. mul. observ. 7. & 39. 46.* Imò tàm in primis, quàm ultimis mensibus, nec non in medio etiam gestationis tempore, urgente nimis malo, V. S. tutò administrari posse, idem testis est, *loc. cit. p. 81.*

Major controversia est de *loco & venis aperiendis.* An supernis in partibus, ut brachiis; an infernis tundendae sint venae?

Auctoritatibus si est pugnandum, infernas probant illi, qui se tuentur clypeo *Hippocratis 1. aph. 21.* ducendum quoquo vergit natura.

Superiores secandas imperant alii, quod *Hipp. 5. aph. 50.* cucurbitulae usum probet, mammis adfigendum.

Aëtius, Paulus, Avicenna modò in superioribus, modò in inferioribus partibus V. S. approbant.

Qui motum sangvinis circularem praetendunt, delectum non curant, cùm per eandem venam apertam fiat evacuatio, revulsio, aversio.

Adhuc tamen in suspenso linquitur lis, quod experientia testetur, saepe à vicinis partibus meliùs & feliciùs evacuari, ut hoc evincere allaborat *Botallus l. c.* ex Hippocratis historia, quae exstat 2. *Epidem 5. 4.* Stygmari famula, ubi filium peperisset, „ concussum est ei osculũ uteri, & dolor ad coxam & crus: juxta „ malleolũ venâ sectâ liberata est, & quidem cùm etiam tremo- „ res totum corpus detinerent. Verùm ad causam devenire „ oportet, & causae principium. *Nos* existumamus, habendum „ esse respectum ad partes mandantes, ad ῥυπὴν sangvinis, nec

 teme-

temerè veterum methodum immutandam esse, non enim aliter, quàm servatâ artis formâ, morbum aggredi & oppugnare licet.

Communiter si à toto sangvis ad uterum fluit, & majori idcircò evacuatione opus sit, *venam brachii*, quoniam hâc ratione potenter revellitur sangvis, rectiùs aperiri, nullum est dubium.

Quantum detrahendum, & an *unâ*, an *per plures vices*, virium robur indicabit.

Si sangvis est tenuis, parvam plagam facere jubent Practici. Adisis *Caesalpin.* & *River.*

Nonnulli, ne virium robur citò dispalescat, saepius foramen digito obfirmant, & ita alternatim nunc fluere sangvinem permittunt, nunc cohibent.

Si verò propter vires, aetatem, & alia venam secare non licet, Medicus ad alia avertentia auxilia & praesidia se convertat, & in locum ejus CUCURBITULAS cum vel sine scarificatione substituat.

Commodissimè autem ad menstrua sistenda idipsum praestabit, si cucurbitulam ad mammas foeminae aegrotantis maximam adponat. Melioris verò revulsionis gratiâ aptissimè paulò infra mammas, *juxta Hippocr. aph. 50. sect.* 5. adplicabit, quae secundùm praeceptum à *Galeno in comment.* propositum, maxima debet esse, & cum multâ flammâ, ut fortiùs sursum revellat per communes venas. Si accidat difficilis respiratio, subitò removenda. *Lazarus Riverius.*

Imò ut major fieret sangvinis retractio, VENTOSAS ad mammas supra regionem jecoris adplicatas multùm juvasse, testis est *Forest. l. 28. obs. 13. & seqq.* quo solo remedio desperatas fluxu sangvinis nimio curatas adfirmat.

Alexander Massaria cum vel sine scarificatione cucurbitulas in posteriore & postremâ parte dorsi, in regione ossis sacri, & ossis ilii saepius impositas, verius tamen ad revulsionē, quàm derivationem, commendat.

An derivare liceat per haemorrhoides, ut periculosum & infrequens, in suspenso relinquimus adfirmare.

LIGA-

LIGATURAE suo officio hîc non destituuntur, si artus iisdem constringantur, non quidem ad revulsionem, uti voluêre veteres, sed ad interceptionem sangvinis ad uterum cum impetu prolabentis. Praecipuè hîc à *Massariâ* commendantur *ligaturae brachiorum & mammarum* ad animi usque deliquium. Cavendum tamen, ne inde pectoris angustia sequatur. Sensim itaque magìs magisque constringendae. Nec in inferioribus artubus haec tentare, ullo carebit fructu.

CAPUT UNDECIMUM

Curationem è fonte pharmaceutico instituit.

PHarmacia duobus summis veluti capitibus clauditur, EVACUANTIBUS nimirum & ALTERANTIBUS. *Illa* sensibiliter, vel insensibiliter per vias communes & proprias hoc expediunt. *Haec* corroborantia, & specificâ vi sangvinem sedantia uterinum, tùm *interna*, tùm *externa* appellantur.

Qvum itaque ex communi methodo nunquam liceat ad particularia devenire, nisi, adstipulante *Galeno 3. d. l. aff. c. 3. & l. d. comps. med. secund. loc. c. 6.* habeatur ratio universi; idcirco ante omnia de corporis totius EVACUATIONE cogitare, necessum est.

Hanc duplicem practici faciunt, LENITIVAM seu minorativam, quae excrementis in primis viis debetur, vel κάτω maxumè, vel ἄνω expellendis, & καθαρτικὴν, quae propriè *purgatio* adpellitatur.

Praemittuntur ὑπήλατα juxta veterum effatum, quò viae sint lubricae & apertae, ut habetur 2. *aph. IX.* apud *Hipp.*

Proderunt illa, ubi duabus insimul praedita fuerint qualitatibus: 1. contemperandi humoris acrimoniam, si à cacochymiâ inprimis malum productum fuerit; 2. vasorum debilitatem roborandi, & prohibendi, ob vehementioris fluxionis metum, ne materia peccans ad ipsa vasa defluat.

Hujusmodi efficaciâ pollere creduntur *sirup. ros. & viol. solutivus, cassia, tamarindi*, ℞ *laxativ. crystall.* ℞*li*, ℞*tis*,

extract. ♂tis purgans cum succo pomor. dulc. parat. *manna*; quae tamen quia facilè bilescit, aliorum admistione est corrigenda; *diaprunum simplex, elect. lenitiv. de psyllio, diacatholicum* &c. Quibus securè, toto morbi decursu, licet uti, praesertim ante V. S. si moram adfectûs dederit vehementia. Purgantia etiam propriè dicta in minori dosi ut adhibeantur, locũ hîc inveniunt, uti *rhabarb. mechoae. alb. nigra* &c.

Paradigma

POTIONIS LAXATIVAE

℞ decoct. tamarind. fact. in ▽ burs. pastor. ʒX.
sir. cich. cum rhab. ʒVj.
extr. rhab. ℈ß.
▽ cinamom. borrag. s. v. ʒij
spr. ⊕li ♂tis parùm.
M. F. Potio. D. in fictili. S. Lind-tränckl. auf 1. mahl.

PULVERIS.

℞ cryst. ♀ri ℈j.
pulv. laxat. veg. Rolfinc. ℈ß.
elaeosacch. foenicul. gr. iij.
D. in charta S. Lind-pulver.

BOLI.

℞ extract. ♂tis purgant. ℈j.
elect. diacatholic. ʒiij.
pulv. polychrest. gr. iij.
conserv. menth. rubr. ʒj.
M. F. l. a. Bolus.

CLYSTERE si opus, injiciatur, paratus ex herbis emollientibus, refrigerantibus, & modicè adstringentibus.

℞ herb. ♃. emollicat. à ♏j.
virgae aureae.
flor. verbasci
hyperic.
cichor. a. ♏ß.
sem. urtic. ℥ß.
hordei nudat. ℥iß.
prunor. dul. par. Vj.
rad. altheae. ℥iß.
consolid. ℥ß.
Coq. in s. q. aq. font. ad ʒtias Colat. ℞. ℔j.
adde
elect. lenitiv. ʒVj.
diacatholic. ʒij
℞ nymph.
chamomill. à ℥j.
⊖ nitri purif. ʒß. F. l. a. Clyster.

VOMITORIA ut revellentia commendant *Rod. à Fonseca, consultat. tom. II. Laz. Riverius in praxi*, à cibo vel jejuno

juno ventre propinata cum jure pulli, succo raphani, & oxymelite, vel rad. asari. Valent maximè ad praecavendũ. Horum mentionem fecit *Hippocr. 2. d. morb. mul.*

Saepe humores educendi morbifici vel tenues nimis sunt, & calidi, vel crassi, viscidi, salsi, frigidi.

In corporibus itaque cacochymicis plerumque, quo futurum hoc malum praecaveatur, PRAEPARANDI sunt, & ad educendum disponendi.

In causa biliosa, tenui & acri

℞ ♈ sedi maj. ℥j. sirup. de papav. alb. ℥j.
plantag. ℥ij. spir. ♃ campanat. parùm.
D. in fictili. S. Praeparir Tränckleín.

℞ ☉ in elixiviatione ♁ diaphoretici, collect. coagulat. cremat. in cellâ resoluti, & filtrati ℈j.
sir. de succ. ros. pallid. ℥j. M. S. Digerir Safft.

℞ Cryst. ♀. albiss. ʒß. lapid. prunell. a. gr. Vj.
Cryst. absynth. M. F. Pulvis
Dividatur in duas partes aequales. S. digestiv-Pülverlein.

℞ Tinctur. violar. edulc. ℥iß.
Sirup. è succ. berber. ℥ß.
Julep. rosar. ʒij. M. S. Leber-Tinctur.

PURGANTIA propriè dicta his subjungenda, si malum det inducias. Quod si non, etiam sine istis hisce uti optumum erit.

Rhabarb. omnibus praeripit palmam, à Barbaris anima hepatis dicta, utero gratissima, cui *agaricum, senna,* & *gialapium* misceri potest. Conducunt etiam maxumè *mirobal.* vel *tamarind. sirup. ros. laxat, diacatholic. diaprun. solutiv.*

℞ rhabarb. el. ʒij. flor. viol. ros.
gialap. nigr. resinos. ʒiij. borrag. buglos. a. p. j.
sqvinanth. ℈j.
Coq. in s. q. aq. font. Colat. ℥V. adde
sirup. de cichor. cum rhabarb. ℥j. M. F. Potio
S. Tränckleín auf 2 mahl.

 ℞ pulv.

℞ pulv. laxat vegetabil. Rolf. ℈j.
scam. cum santal. rubr. tinctur.
corr. gr. V.
℈ matricar. gr. iij.
M. F. Pulvis auf 1 mahl.

℞. extract. panchym. Croll. ℈j.
☿ vitae purg.
℈ melis. a. g. iij.
macis destill. gr. j. M. F.
Pilulae.

DIURETICA, si sangvis plus justô fuerit serosus, concedi possunt, vi refrigerandi, & modicè adstringendi unà praedita.

Acidularum usus προφυλάξεως δίκην hîc exulare nequit, observatâ causarum & subjectorum ratione.

SUDORIFERA extra paroxysmum exhiberi possunt, ut reliquiae humorum excrementitiorum, in superficie corporis haerentes, expellantur. Eò maxumè tendere debent, ne sangvis multùm incalescat, & commoveatur. Itaque si calidis utendum, cum aquis refrigerantibus & attemperantibus permisceri debent.

Horum autem summo cum fructu sustinere vicem poterunt Tinctura Bezoard. *Dn. D. Michaelis*, Tinctura fl. cordial. Mistura simpl. theriac. bezorad. *amplissimae famae Chimiatri, Dn. D. Rolfinc.* elect. *camphorat. Kegleri ad* ʒij. *spir. sambuci, extract. ligni buxci in magnitudine lentis datum, spir. sangv. cerv. cum* ℈ *e suo volat. essentificatus.* ℈ *rorismar. salviae* &c.

℞ spir. theriac. camphorat. ℈j. Lap. bezoar.
C. C. philosoph. praeparat ℈ß ℈ absynth. a. gr. Vij.
M. D. in ▽ bursae pastor. virgae aureae ʒiij.

Decoctum etiam ex *radic. chinae, sarsaparill. cortic. lign. Guajac.* additis pro humoris peccantis qualitate, vel modicè calefacientibus vel frigefacientibus ad sudorem excitandum, propinare possumus.

Supersunt ultima, quae ex pharmaciâ petuntur, auxilia. ALTERANTIA sc. & CONFORTANTIA SPECIFICA, tàm *internè*, quàm *externè* adhibenda.

EX INTERNIS quaedam *praeservativè*, & *extra paroxysmum*, intemperiem viscerum cumprimis calidam corrigunt, tonumque eorundem conservant. *Curativè*, & in *paroxysmo*, quae iisdem viribus fervorem sangvinis tollunt, tenuem & mobilem incrassant & figunt, *ora vasorum* occludunt & adstringunt.

Utrum-

Utrumque praestant tùm *communibus* & nobis manifestis, tùm *propriis* & per rationem nondum satis exploratis qualitatibus.

Commendatur hîc potissimùm ad sangvinis acrimoniam extingvendam, & fluentem retinendum, *mucilag. sem. cidon. dissol. ▽ pectul. ros. vel plantag. sirup. de pap. jujub. cum paucâ quant. sirup. de ros. siccis, conserv. rosar. rubr. acetos. succ. burs. pastoris.*

Succus plantag. inter reliqua remedia præstantissimus censetur à *Galeno*, si recenter extractus ad ℥iij vel IV. exhibeatur.

Inprimis ad quasvis haemorrhagias sedandas specificâ vi pollere *muscum cranii humani*, violentâ morte perempti, adfirmat *Beckerus, lib.* qui inscribitur *Spagyria microcosmi.*

Forest. l. 28. obs. 18. in scholiis matronam nobilem hauftu ▽ *plantag.* & vini rubri ad tria cochlearia, cum vitello unius ovi, ab hoc malo sanitati fuisse restitutam, pro certo perhibet.

Solenander cons. 8. s. 4. pulverem millefolii ad ʒß, aut succ. plantag. ℥ iij, ▽, & deco&t. granatorum remedia infallibila esse, expressè adseverat. Et *sect. 4. cons. 10. Memini*, inquit, *mulierem, quae cum VI. menses fluxu epatico colluctata esset, nec curari posset, quodam consulente, ut manè* ʒj. *pulveris med. cort. fraxini in ▽ convenienti sumeret, quod qvum tertiâ fecisset vice, fluxum restitisse.*

Obstetrix quaedam Caesarea conjugi meae secundinam exsiccatam & pulverrisatâ intra corpus exhibuit, cùm post abortum menses tàm violenter fluerent, ut nullâ arte cohiberi potuerint, & sic paulò post eam restituit. Sed si ejus pulveris nimiũ quaepiam sumserit, ajunt, eam sterilem omninò fieri. Haec ex observat. *Wolff. Höfferi in Hercule Medico lib. VII. c. 1.*

Bolus Armeniacus cum ▽ polygrest. aut virgâ sangvineâ exhibitus, aut vino rubro, non nullius habetur efficaciae.

Essentia symphyti, Tinctura lap. haematit. Magist. testar. ovor. oss. humam.

Urticam pro singulari secreto venditat *Borellus in observat.*

Magnis nonnulli laudibus evehunt pulverem *corticis ovi* ad ʒj. exhibitum in aurora per aliquot dies, & pro secreto habent.

Officio

Officio suo non deesse creduntur, quae ex sequentibus sunt composita:

℞ Croci & adstring. magist. lap. haematit. a. ℈ß.
C. C. usti praeparat. ℈j. M Dividatur in tres partes aequales, in chartis distinctis S. drey anhaltende Pülverlein.

vel

℞ C. C. usti praeparat. nucis moschate n. j.
Corall. rubr. ppt. a. ʒj. sacchari rosat. tabulati ℥ß.
M. F. Tragema. S. gelind Stopf-pülverl. auf vielmahl.

Ad praecavendum hac à causâ abortum in gravidis, specificis adstringentibus alia quoque foetum corroborantia admiscenda sunt.

Magnif. Dn. D. Rolfincius in ord. & meth. med. spec. comment. praegnanti, cui mense VII. fluxere menses, pulverem sequentem ad ℈j. exhibitum, maximè proficuum fuisse adfirmat.

℞ Spir. diamargariti frigidi, smaragd. ppt.
de hyacintho a. ℈j. C. C. usti ppta. ℈ß.
Corall. praeparat. sacchar. albi ad pondus omnium.

S. Stärck-Pulver auf 1 mahl.

Vel.

℞ Magister. sedativi gr. iij. Pulv. contr. abort. Zwölfferi ℈j.
croc. & adstring. gr. ij. M. F. Pulvis. Exhibeatur in malvatico.

℞ Conserv. rosar. rubr. Trochisc. de spod.
antiqv. de terra sigill. a. ℈ij.
nymph. a. ℥j. spec. diamagarit. frig.
symphyti ʒVj. diarrhodon. abb. à ʒß.
Condit. berber. ʒij. Tinctur. corallor. ʒj.
carnis cidonior. ℥ß. cum sir. de ros. sicc. q. s.
pulv. oss. sep.

F. l. a. Electuar. S. Stärck-Lattwerge 1 Wälschenüß groß auf 1. mahl.

Rotu-

℞ smaragd. praeparat. ℥ß. croci ♂ adstring. a. ʒß.
spir. de hyacintho ʒj. cinamomi acuti,
corall. rubr. praepar. macis a. ℈ij.
smaragd. praeparat. sacch. alb. solut. in ▽ plantag.
M.F. Rotulae. D. in scatulâ. & aq. rosar. f. q. ℥Vj.
S. Kräftige Harn-küchlein auf 1 mahl.

Alii *Aquas minerales acidulas* ☉*latas, ferratas, vel aluminosas*, quòd in fluxu diuturniori cohibendo, causis ejusdem auffe-rendis, & visceribus roborandis plurimùm conferre credantur, magnoperè extollunt.

Palmam hîc praeripere videtur *Tinctura* ♃ ☉*li Magnif. Dn. Joh. Michaëlis, Med. Doct. & P. P. in Academiâ Lipsiensi, Praeceptoris quondam mei, omni honoris ac reverentiae cultu plurimùm prosequendi.* Quo unico remedio desperatissimas quascunque haemorrhagias saepius sedatas ipse aliquoties recensuit.

Corallia rubra extolluntur, quod corroborent, & confortent cor, epar, cerebrum, mundificent etiam sangvinem, spirituumque vitalium lumen exaltent.

Neque laude suâ destituitur Tinctura, cujus apud artifices non una compositio reperitur. Fit cum spir. ✠, mellis, △ fol. querc. succ. citr. spir. ☉li, vini, ♁ citr. & cinamom. Adhibetur etiam Spir. vini ♀ risat. Adduntur & alia simplicium genera pro diversitate scoporum morbi, & causae varietate.

Sirup. de corall. Quercet. liqvor. corallorum suam hîc conferunt operam. *Vid. Hartm. in praxi.*

♂ & ☉lum jure singulari motum sangvinis ferociorem compescunt. *Tincturae & croci ex ♂te*, infusum pariter digna omni sunt commendatione. *Spiritus* ☉*li* coagulare sangvinem perhibetur, sistit motum, incrassando illum, experientia eventui subscribente. Sed distingvenda sunt corpora langventiũ crebroq; ab usu ejus abstinendum, observatu necessarium est.

Confugimus etiam ad ANODYNA & NARCOTICA, sacram veluti ad anchorã. Dari internè h. l. potest, *laudan. opiat. & pulv. anodyn. Rolfincii.*

℞ Conserv. flor. nymph. symphyti rubr. a. ʒß.
laudan. opiat. gr. iij. F. Bolus. S. Nacht-Zucker.

EXTERNA ut *emplastra*, *ungventa* &c. non negligenda.

℞ Ungvent. Comitissae ℥ß.
℥ nucistae ℞lati ℈j.
D. in pyxide bracteatâ. S. Rück-Sälblein.

Hoc inungatur pectinis regio simul ac dorsum, regioque epatis.

Si desideratur *Pessarium*, concinnetur illud ex *fol. plantag. polygonati*, contusis & cum ovi albumine in formam cilyndraceam redactis. Pro arcano habetur *muscus*, qui in tegulis antiquis reperitur, si cum aceto madefactus pudendis intrudatur.

Emplastra *Zacut. Lusit. lib. 3. prax. c. 11.* miris modis in lochiorum nimio profluvio depraedicat, inquiens: Vidi plures, quae, parùm conferentibus auxiliis caeteris, hisce convaluêre.

℞ ℥ laurini laudan. puriss. ℥Viij.
lil. alb. a. ℥iij. emplast. santalin. ℥iß.
fol. pulegii ʒß. styracis calamitae ʒj.
matricar. ʒiij. mastich. ʒij
flor. ros. rubr. ℥ß. cerae q. s. F. l. a. emplastrum.
Adservetur in vesicâ. S. Emplastrum matricale.

Ευπόρισον in Gynaeceis familiare esse ex ovis ad duritiem coctis, si discentur, & calidè axillis supponantur, ὡς ἐν παρόδῳ à *nobiliss. ac amplis. Dn. Praeceptore praeside* adductum nuper observavimus in *discursu ad praxin Jonstonii privato*, ob summum quod inde reportamus emolumentum, nunquam satis depraedicando.

Laudatur *rad. hyosciami*, & *plantag.* si sacculo inclusae sub axillis adfiganrur. De rad. *cyani*, & *lapid. haematit.* idem adfirmatur, si in manu detineantur.

BALNEA & INSESSUS parari debent ex decoct. burs. pastoris plantag. portulac rosis. myrtill. agrimon. Exthermis refrigerantibus, ut sunt in Italiâ Calderianae & B. Virginis.

Alexan-

Alexander Massaria crura & coxas aquâ simplici & frigidiore lavari experimento probat. Idem veteres Graeci comprobarunt.

Galenus in simplicium adplicatione permiscere jubet medicamenta calida vehiculi loco, & ut ad situm partis laborantis respiciamus, *l. 4 m. m.* Hunc sequitur *Avicenna*, & ideo calamenthum admiscere mandat. *Riverius* ante revulsionem totius non adplicanda talia esse svadet, ne circa uterum sangvis consistat, & putrefactus inflammationes & tumores inducat.

Apud *Hippocr. lib. de loc. in hom.* fomentorum etiam fit mentio. Ubi ab eodem non tàm humidae, quàm siccae intelliguntur, notante hoc *doctiss. P. Martiano*, quem adducit *Franciscus Pera in com.* Verùm aliud est fomentum ipsum, & ejus usus. Fomentum humidum ex adstringentibus paratum, & cum spongiâ admotum, non nisi adstringere nescit, subditum genitalibus, ut vapor tantummodo locum adfectum attingat, laxare solet & emollire.

Si quis plura forsitan de adfectûs hujus curatione desiderat, & medicamentorum delectum exoptat, illum adire jubemus *Zacut. Lusit. lib. 3. prax. c. 11. Laz. River. l. 9. prax. c. 3. Solenand. cons. 4. 9. s. 4. Senn. l. 4. p. 2. s. 2. c. 6. Forest. l. 28. observ. 11.* seqq. *Horst. l. 1. p. 2. d. morb. mul. Hildan. c. 3. & 5. Joh. Hartmann. in Praxi Chimiatricâ.*

CAPUT DUODECIMUM

Diaeteticum aperiendo fontem dissertationi finem imponit.

COmmoda demum DIAETAE ratio adjungenda venit, monente *Horat. Augen. tom. 1. epist. l. 2. ep. 7.* Sine clavo enim & remis navigat naufragium tandem facturus, qui nullâ victûs ratione observatâ Medicinam facere conetur.

Estque juxta methodum *nobiliss. Rolfincii* adcuratissimam, NATURALIS, VITALIS, & ANIMALIS.

NATURALIS DIAETA τὰ προσφερόμενα, ea, quae offeruntur, temperat.

In adsumendis ergo CIBIS & *quantitas* & *qualitas*, *modusque* utendi adcuratè observetur.

Quoad *quantitatem* svadet *Hippocrates*, tutius esse, mensam cum adpetitu relinquere, quàm nimiùm sese implere, ac satiari. Quò sequentibus etiam *Schola Salernitana* respicit versiculis:

— — *Esuriant, sitiant, qui rheumata curant.*
Abstine, & efficies, quod Medicina nequit.

Quoad *qualitatem* cibus omni acrimoniâ careat, salsedine, atque nimiâ aciditate, concoctionis non sit difficilis, non vaporosus, flatulentus, aut excrementitius, sed cum agrestâ paretur. *Carnes* in initio mali proscribantur, utpote tenui victûs rationem excedentes; in declinatione tamen, aut nimio virium lapsu admitti possunt, maximè pullastrorum gallinaceorum & vitulinae, artuumque extrema. Ex *piscibus saxatiles*, ut lupi, percae, fundi conceduntur, qui alimentum praebent non facilis dumtaxat coctionis, sed & vescentibus saluberrimum, teste *Bruyerino d. re cibar. l. 19. c. 4.*

Fonseca panatellam dilaudat in jure pulli, in quo pyri atq; cydonii frustula cocta fuerunt. It. Pultes ex oriza & amygd. dulc. confectos. POTUS ad frigiditatem aliquantum inclinet. Vinum rubr. cydoniat. ribium, granator. ▽ chalybeata & hordeata; immo vinum etiam ὀλιγόφορον propinari poterit.

Vitentur cerevisiae foeculentae, nimis calidae & frigidae, nec non vina generosa.

VITALIS I. *Aërem* purum ac serenum praecipit; impurum enim facilè putrescere, docet *Arist. 4. Meteor. 3.* Hinc rectè *Hippocr.* toto ferè *lib. 3. aph.* nos monet, ut aëris inclementias contemplemur, & varias ventorum mutationes inquiramus.

II. *Animipathemata*, ut iram, tristitiam, timorem, risum, ac gaudium nimium cane pejus & angve fugere, & à Veneris usu, longiori tempore, abstinere jubet, ne tonum spirituum perturbent, sed potius ita dirigantur, quò vigori ipsorum addant incrementum.

ANIMALIS *somni* rationem habet & *vigilarum*, *motus* & *quietis*, *excretorum* & *retentorum*.

SOM-

SOMNO aegrae non indulgeant longiori, quò nimium incalescant viscera; neque VIGILIIS immoderatis, propter nimiam resolutionem, neque statim post adsumtum cibum ante duas tresve horas cubitum petant. Dormiant elevatis nonnihil & contractis cruribus, monente *Aëtio*.

MOTUS nimius maxumo vitetur opere, ne sangvis fervidior ac concitatior ad partes adfectas ruat, & vires, aliàs satis debiles, magis defatiget.

ALVUS quotidie muneri respondeat. Si verò aliquando contingat, ut solitae evacuationes supprimantur, atque excrementa plus justô detineantur, medicamentis ἐκκοπρωτικοῖς natura ad expulsionem erit proritanda, *decoct. fol. senae, passul. laxat. decoct. prun. dulc.* &c.

Uno verbo: Omnia ita moderentur atque temperentur, ut nullus committatur excessus, observando praeceptum *Hippocratis*: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον.

Haec, qualia qualia, pro formandi discursûs publici materiâ in medium protulisse philiatris p. t. sufficiant. Si quid humani sumus passi, rogamus, LECTOR BENIVOLE, ut homines & nos, & te esse memineris, piscem sine spinis haut inveniri cogites, nostraeque Adolescentiae ignoscas, ac faveas. Quod super est, ARCHIATRO OPTUMO, MAXUMO, à quo hujus coepti nostri sumsimus primordia, in fine quoque consociatis suspiriis debitas exsolvimus gratias.

Pra-

Præstantissimo

DN. SAMUELI OCHLITIO,

Medicinae Cultori strenuo,

Cathedram Medicam conscendenti

FELICITER!

OCHLIZI Medicam tentas animare Cathedram.
Sis, precor, ut Medicæ stella corusca Scholæ.

Benivolentiæ testandæ adponebam

Joh. Ern. Gerhardus,
SS. Theol. D. & P.P.

Ad lectorem benivolum.

ADspice, quæ scripto docilis solertia prodat,
Annuus & Medicâ monstret in arte labor.
OCHLITIUM celebro, quoties hæc scripta resumo,
Laudoque præ reliquis invigilasse libris.

μνημοσύνης χάριν
apposuit

PRÆSES.

IMbellis sexûs discis succurrere morbis.
Instes: certa ferent præmia Apollo, Venus.

Ita Præstantiss. Dn. OCHLITIO, de gravissimo affectu muliebri publicè disputanti adcinebat fest.

Caspar Posner, Prof. Publ. ord.

Ride-

Ridere, quotquot sunt, meritò solent
Empiricos, plebem stolidam satis,
Qui, fonte morborum neglectâ
Sedeq́, semper eâdem oberrant
Chordâ medendi. Tu facis, OCHLITI,
Contra, bonis permotus ab ausibus:
Id quod labor doctus docet, quô
Semina cum reliquis acutè
Morbi tui causis aperis, simul
Fidas medendi dans methodos. Tuo
Hoc macte conatu: & profectò
Magnus eris Medicus futurus.

M. Matthias Dicelius.

VErenda dum reseras casto conamine,
Doctoque declaras sermone, sequior
Quæ sæpè sexus sustinet; non supparus
Mentis pudicæ disruptus censendus, aut
Violata Castitatis jura. Protinus
Laudandus ingenii Tui potius vigor,
In arduis lubenter versati rebus.
Mactè ergò præclaris conatibus! Decus
Intaminatum Te manet; Venus quoque
Ex voto Adonim quondam exornabit suum!

Præ-Eximio DN. OCHLITIO
Amico suo
suavissimo, dilectissimo, adjecit.

M. Jeremias Lossius, Bornens.

MAchaon stehet da/ dein brennendes Gemüthe
Zieht Ihm Bestürtzung zu/ Er nennt Dich
seinen Sohn/ (Lohn/
und zeigt mit voller Hand der Meditrinen
Die-

Dieweil Ihm schon bewust/ wie deine erste Blüthe
Ihr aufgeopffert sey. Schau Fama ist bereit/
Und schreibet Dich dahin zur greisen Ewigkeit.

Also wolte bey seinem hoch-werth-geehrten Freunde
schuldigste gratulation vergnügen

M. Johannes Reißke/ Geranus.

SChau/ Phœbe, deinen Sohn! Schau an sein klug Beginnen/
So Er der Welt izt zeigt! Er kämpfft an Pindus-Zinnen
Mit Fleiß-erhitzter Hand/ Er schwingt der Sinnen-Fahn/
Und treibt der Jugend-Kraft nur einzig darzu an;
Denn da wächst Ehr und Ruhm. Drum laß Ihn doch besteigen
Den höchstbeliebten Bergk/ nichts wird sein Hertze beigen/
Biß Er daran gesiegt/ biß Er erlangt den Lohn/
So Ihm vorlängst gebührt. Fahr nur fort/ Musen-Sohn.

Seinem höchstwerthen Freunde und vornehmen
Gönner setzte dieses wenige eiligst zu Bezeugung
seines aufrichtigen/ treu-beständigen/ und zu ei-
nem weit mehrern höchstverbundenen Gemühts
dessen treuer

Martinus Dresserus, von Eisenbergk/
der Welt-Weißheit und H. Schrift Beflissener.

OMnibus exhaustos ostendis, AMICE, labores,
Splendida dum cathedrae pulpita scandis ovans.
Ardua dum tractas, dum profers ardua dextrè.
Indolis eximiae das nova signa Tuae.
Macte Tuis donis, strenuo quin macte labore,
Sic Tua transibit Fama per ora Virûm.

Samuel Hartmannus, Landsb.
Neo-March. Phil. Stud.

FINIS.